


anna Zolla



nom a 6

5 – 15

1 – 50

1 8

1 – 2 5

Ex libris

Mathiæ Petri

Humanistæ

Luxemburgi

Anno Domini

16 5?



LEODII
EX OFFICINA HENRICI HOYOVX

PER-ILLUSTRI AC REVERENDO ADMODUM DOMINO D. LAVRENTIO DE MEAN,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS LEODIENSIS CANONICO ET SCHOLASTICO PRÆPOSITO TONGRENSI SVÆ CELSITVDINIS LEOD. IN SUPREMIS CURIIS FEUDALI ET ALLODIALI CONSILIARIO, PATRICIO LEODIENSI, SENATORI PATRICIOQVE ROMANO, &c.

Patrocinij tui favorem postulant Heroïdes. Per-illust. ac Rev. Admodum Domine. *Nec mirum, si ad*

Heroëm confugiunt, genere, togâ, gestoq; bello inclytum; cujus præsidio prodeant rursus in lucem, quam aliter in Eburonico Martis theatro, timidæ quia castæ, non sustinent. Neque enim procaciter audaces, ex Ovidij Musæo profligatum pudorem, meretriciâ fronte producunt: non Oenonen, non Helenam nôrunt sa- cræ Heroïdes; *nihilque habent à Nasone, præter Elegiacos lepôres, & æmulam Romanæ vetustatis pulchritudinem Et verò mererentur repulsam, si te hostem Cupidinis, profani Amoris patronum deposcerent: sed obscœnos perosis ignes, castos amantibus, Archidia-* conali

conalis tuæ purpuræ, eò potissimum placet tutela, quia pudori concoloris.

Sine igitur exorari Te: & sanctiores Amazonas, propensâ, si lubet, humanitate tuere, complectere: sed ignosce si præter Patrocinij tui decus, tuos etiam amores innoxiâ cupiditate ambiunt: nihil hoc in ambitu supra muliebrem audent modestiam, quod ab eleganti formâ, cultu, sanctitate, purią; sermonis lenocinio, tam tutò, quàm meritò, se putent amabiles. Amari verò à te, vel ideò suspirãt quod tunc demùm se Romani *decôris non parùm habituras credant, si tibi non*

Leodienſi modò, ſed Romano quoque Patricio placere meruerint.

Annuis, ut video, & amico ſerenóque, ut ſoles, Heroïnas vultu excipis: jam in magnifica palatij tui adyta pedem intulere, jam revelatis pudicis frontibus, Hoſpitem, Patronum, Mœcenatem, & Heroëm ſibi benevolum, te ſalutant; elegante quidem, ſed breviore forſitan, quàm par ſit, officio, quòd domus tuæ ſplendor eximius ſtatim in ſe convertat attonitas, & inurbanas pœnè faciat. Quantùm ibi ſtuporis irritamentum! mirantur Architecturæ prodigium, ingenij tui opus, & paſſim antiquitatis miracula cum ar-

artis novitate certantia. Deniq; Parnassi pœnè immemores, Martiniani montis detinentur deliciis, & suaviùs sub arboris tuæ gentilitiæ umbrâ, quàm sub lauro, teneros effundunt questus, si tamen in tanta felicitate queri licet.

Accede, nisi grave est. Per-ill. ac Rev. Adm. Domine, *accede auditurus tibi sacros* Sacrarum Heroïdum *cantus, nihil concinunt ab Ecclesiasticâ, quâ caperis, hymnorum suavitate dissonum: pudicos ingenioso pioque carmine modulantur ardores, & Iuventutis Studiosæ vota, honores, testemq; debitæ observantiæ strenam, Tibi supremo*

Gymnasij Leodiensis Præsidi, venerabundæ deferunt Vale. Calendis Januarij 1673.

BENEVOLO
LECTORI.

COmplures anni ſunt, quando characteris Ovidiani tentamenta quædam agitavi, tanquam animi relaxationes, & diverticula curarum: cùm amicorum poſtulationibus fatigatus, ea tandem verſo (vt ſic loquar) ſtylo reviſere, & in lucem trahere aggreſſus ſum. De quo hîc paucis Lectorem monere operæ pretium exiſtimo.

Atque in primis vltrò fateri allubet, me, quamquàm genio Ovidiano ſemper affectum, præ-

cipuo tamen ſtudio, & curâ *Epiſtolis* quas ille ab Illuſtribus Fœminis *Heroïdum* appellat, incubuiſſe: atque adeò Elegis ſcribendis, quod eleganter ac recentiſſimè ex Gallobelgica noſtra Provincia, Pennequinus Iardinius, Deſſionius, aliique factitarunt, minimam operam meam locaſſe. Igitur *Heroïdum Epiſtolas* maximè ſectatus ſum: in quibus ſemper mihi placuit, vti & olim Guidoni Morillono, preſſus ad elegantiam ſtylus ac nitor, crebris ſententiis intermicans: vt ipſam Ethicen, morumque diſciplinam veluti exhibeat. Neque porrò de Ovidij imitatione hoc ſubticebo. Ac primò nullum videlicet ſcrupulum mihi-ipſi moviſſe, ſi eiuſdem ſubinde argutias & acumina etiam liberiuſculè vſurparem:

rem: quippe tanquam Ægyptum exſpolianti. Tum deinde, quod & profeſsionem meam prorſus decebat, Chriſtianæ diſciplinæ animum, ſtylumque ita me intendiſſe: vt cuivis pro comperto eſſet, pietatem neutiquam Poëticæ deliciis infici, aut elidi eius in verſu nervos; quin è diverſo potiùs, ſi caſto puroque calamo effluxerint, vim illis maiorem atque illicium indi virtuti capeſſendæ. Documentum Davidici Pſalmi, qui quò leniùs à metro modulique gratiâ, eò efficaciùs animos pervadunt ſubiguntque.

Iam verò, quod ad *Epiſtolas*, earumque ſeriem attinet, tribus eas libris complexus ſum: atque exordium Deiparæ (quamquam anteriora eſſent legis antiquæ *Epiſtolarum* argumenta) at-

tribui; docendi cupidus, homini Chriſtiano nihil vnquam niſi eius auſpiciis tentandum: ſimul ſupra id quod cum cæteris commune eſt, haberi DIVÆ OPTIMÆ, jam ante annos 28. quo tempore SOCIETATEM prenſabam, ſoluto linguæ impedimento, beneficio obnoxium. Hinc primâ ipsâ Libri fronte DIVAM VIRGINEM CANCELLATAM exhibeo, apud Inſulanos populares meos quatuor ab hinc iam retrò ſæculis miraculorum famâ, & Sodalitio nobilem. cuius Hiſtoriam, & ante annos aliquot Latinè compoſui, & Illuſtribus atque Adm. RR. DD. Præpoſito, Decano, & Capitulo D. Petri Inſulenſis dedicavi. De qua profectò Virgine, maximè Inſulanorum quiſquis eſt, tanquam de Chriſtianæ Poëſeos ſa-

cratiori quodam Helicone, jure pronuntiet: quod in imagine etiam adumbravimus:

Purius ex isto fonte bibuntur aquæ.

Visum est præterea, & hoc præcipuè in gratiam Studiosæ Iuventutis, singulis *Epistolis* argumentum præfigere, adjunctâ Imagine, & Symbolo: Ad hæc adnotatiunculas quasdã perbreves addidi, quibus Historiæ & vocabulorum quorumdam explicatio saltem tyronibus patesceret. Circa Tertium *Epistolarum* Librum maximè delectum habui: ideoq́ue non nisi SOCIETATIS Nostræ propria & domestica agitavi, vtique anno Sæculari nostro. Quod si interim mirum hîc alicui videbitur, *Heroas* pauculos *Heroidibus* à me permixtos: is meminerit hoc ipsum Nasonem quoque, & in paucioribus

ribus quidem, quas *Heroidum* inſcripſit *Epiſtolas*; vſurpaſſe, & prçeundo viam, ſimul audaciam, ſi qua eſt, feciſſe.

Atque hæc erant, Benevole Lector, de quibus breviter hic initio monitum te cupiebam. Nunc munuſculum meum, quod anno hoc SOCIETATIS Noſtræ Sæculari, veluti *Miſſile* quoddam in vulgus ſpargo digeroque, amicâ (ſi lubet) manu ſinuque excipe: eoque (ſi tibi in hoc placeo) ſic etiam vtere, vt cum Muſis animum quoque ad pietatem informes. Erit certè id mihi ſemper & lucro & laudi, ſi intelligam, Poëticas haſce animi mei oblectationes, & gravioris ſtudii laxamenta: præterquàm ingenio remittendo, formandis quoque, & concinnandis moribus profuiſſe.

ELENCHVS
Earundem Epiſtolarum.

S Ecundum menſes, & diem menſis, quo vel ipſa res, quæ in Epiſtola traditur, peracta eſt: vel Heroïdes *ipſæ, quæ ſcribunt; aut ij ad quos, & de quibus ſcribitur, obiere.*

IANVARIVS.

Circiter diem 13.

Nempe propter Evangelium Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ, quæ ipſius Epiſtolæ materiam exhibet, id eſt amiſſum Chriſtum in Ieruſalem anno ætatis 12. Cæterum & hæc Epiſtola ad 16. Aprilis referri poteſt, vti inferius annotatur.

Die. 27.

Tranſlatio D. Chryſoſtomi.

FEBRVARIVS.

Die 6.

Die 10.

MAR-

Die 23.

Mariamna Herodi. fol. 28.

Atque id pro libito; propterea quod nec Iosephus, nec alij Historici prodant, quo mense, dievè Marianna mori Iussa sit.

APRILIS.

Die 26.

Maria Christo. fol. 1.

Amissus est Christus duodennis in Festo Paschatis quod tunc juxta P. Bucherium in cyclo Paschali Iudaico, (quem Epiphanius 64. annorum fuisse scribit) incidit in 6. Aprilis, adeoque cum Maria (vti hic supponimus) hanc Epistolam scribat tertio die ab ejus amissione: amiserat autem consummatis Paschæ diebus (vt ait Lucas, qui erant minimum 7.) Iure hanc Epistolam 16. Aprilis assignamus.

Die 28.

Theodora Didymo. fol. 88.

MAIVS.

Die 14.

Aglaë Bonifacio. fol. 66.

Anna Tobiæ. fol. 20.

Si quidem verosimile id, quod aliqui conje-

ctant

ftant Tobiam Ineunte Aprili iter aggressum: quippe cum altero mense serius reverti in Epistola arguatur.

IVNIVS.

Die 17.

Alena Phosphoriano. fol. 95.

Circa finem mensis.

Iephtias Iephte. fol. 12.

Posito videlicet bello, & victoria in Ammonitas medio circiter Aprili: atque inde exactis duobus mensibus, quos Iephtias à patre impetraverat, ad deplorandam virginitatem.

Die 21

Aloysius Aquavivæ. fol. 164.

IVLIVS.

Die 17.

Polydora Alexio. fol. 80.

Vltimo die.

Loiolis Ignatio. fol. 124.

AVGVSTVS.

Die 13.

Berchmanus B. Virgini Aspricollensi. fol. 176.

Die 14.

Kostka Deiparæ, fol. 155.

SEP-

SEPTEMBER.

Die 14.

Anthusa Chrisostomo. fol. 72.

Obitus D. Chrisostomi.

Die 20.

Theopista Eustachio. fol. 51.

Die 27.

Societas Iesu Filijs suis, anno suo Saeculari. 18.

Ipso scilicet DD. Cosmae & Damiani Festo die, quo & Societas Iesu, ab Apostolica Sede approbata, confirmata fuit anno 1540.

OCTOBER.

Primo die.

Francisca de Iesu Borgiae. fol. 140.

Vtique Matertera Nepoti.

Die 21. & 22.

Vrsula Cordulae. fol. 158.

NOVEMBER.

Die 27.

Elapis Iacobo. fol. 43.

DE-

IN LAVDEM AVTHORIS
EPIGRAMMA
JOANNES VINCARTIUS
ANAGRAMMA
Nasoni arte vicinus.

DVm reddis sacras, Vincarti, heroidas orbi,
Fractaq; virgineo Cypridis arma gregi;
Ausonio lenes manant tibi nectare rivi,
Lotaq; Sulmonis flumine labra natant.
Sic faciles elegos Ovidij sic mella propinas,
Sic tibi peligno vena liquore salit.
Num bene *vicinum Nasoni* carminis *arte*
O mine te fausto nomina reâq; probant?
Attamen immensum est, quo tu discedis ab illo;
Quoq; tibi victas porrigit ille manus.
Idalias Naso paphiâ canit *arte* puellas,
Parthenios *sacrâ* tu canis *arte* choros.
Ille cupidineos arcus tædasq; iugales,
Connubij grata iuraque rupta fide.
Tu Charitum flammas tu Virginitatis amores,
Queiq, sibi posuit sacra trophæa pudor.
Sic iter ad stygios Naso præit *arte* caminos,
Ars tua Virginibus pandit ad astra viam.
Scis m odo *vicinus* quam sis *Nasonis* in *arte*?
Viçinæ quam sunt ad Styga & astra viæ.

AD

AD EVNDEM.

Ioannes Vincartius

ANAGRAMMA

Nasoni arte vicinus.

QVod retegit verso, minus est, in Nomine lusus
Plus aliquid tenerâ lusus in *arte* notat.
Hic satis esse negat, quod sit *vicinus* in *arte*
Nam prior hic vates, par vel in *arte* venit,
Par venit, has Musas ludat licet impare versu:
Æmule Nasonis, daphinde cinge comas.
Vt tibi, sic illi venâ de divite manant
Carmina; femineas emodulata faces.
Par in vtroque nitor, par gratia, cultus, acumen:
Nec minus ingenio, quam valet ille, vales.
Denique, Vincarti, dicaris Ovidius alter;
Oderit impuros nî tua Musa modos.

AP.

APPROBATIO


ELegantes hæ, Sacris Heroïdibus affictæ Epistolæ, præterquàm quod suaves sunt, & lacteo decurrunt flumine, nihil habent quod non pietatem simul, & bonos mores ædificet; ob idq; quo minùs securè imprimi, legiq; possint.

I. BOUCHER Sacræ Theologiæ Doctor Archid. & Canonicus Tornacen.

PERMISSIO ORDINARII.

PLacet Imprimatur.
Leodij 20. Decembris 1672.

IOANNES BARO DE SVRLET *Vicarius Generalis Leodiensis.*



EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Provincialis juxta Privilegium eidem Societati concessum quo Typographis omnibus prohibetur nè libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos absq; Superiorum Permißione Imprimant potestatem do. D. de Hoyoux Typographo Leodiensi vt Librum, cui Titulus est Epistolæ Sacrarum Heroïdum à Patre Ioanne Vincart. compositum ad sex annos imprimere & libere distrahere possit. Datum Bethuniæ 30. Novembris. 1672.

JOANNES BLAWART.

R. P. JOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSULANI E SOCIETATE IESV SACRARUM HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER PRIMVS

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Cum hebræis lege sancitum esset, vt ter in anno Ierosolymitanum Templum adirent; eoque Ioseph ex more cum MARIA *& puero* JESU *jam duodenni profectus esset in Paschate, qui dies apud Iudæos præcipuæ obseruantiæ, & cultus erat: accidit vt* JESUS *clam parentibus facta oblatione Nazarethum reuertentibus Ierosolymæ remanserit. Quod statim ac* MARIA*, ad primam scilicet redi-*

tus

bus vesperam) animadvertit si: quidem puerum ante hac viris permistum arbitrabatur, qui diversam à fœminis viam tenebant; subitò vi ingentis doloris saucia, filio requirendo animum pedesque convertit. Verùm cum Ierosolimæ diem jam tertium partim labore itineris, partim luctu atque angore fatigata, frustra impenderet, hanc Epistolam *ad eum scribit, mittitque per Angelum.* In *hac autem quidquid questus & lacrymarum maternus amor exprimit, operosè adhibet: tum & rationum momenta precesque aggerit, quibus amissum profugumque inducat, vt quantocius revertatur, seseque matri afflictißimæ restituat.* Luc. c. 2.

Maria

Maria Chriſto.



SYMBOLVM.

Turtur hîc & *Virgo*, vti loco proximæ, ita & ſimul gemunt: turturi enim id proprium eſſe docet *Plinius* & *Virg.* Eclog. 3

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab vlmo.

Si cauſam inquiras, certè vt turturi amiſſum comparem, ita & *Mariæ* Filium lugenti, meritò adſcripſeris.

Quia ſola.

Maria Christo.

MIttitur à Solymis, vbi te mea gaudia, nate
Perdidimus, luctus nuntia charta mei.
Vt te non lateat, tamen hæc tibi Mater, IESV,
Tradidit Aligerâ verba ferenda manu.
Ad questus pia turba meos properavit; amicam
Et notus Gabriel obtulit ales opem,
Attamen, heu! quantùm diversam vidit ab illa
Cùm tu visceribus conciperêre meis!
Qui mihi tunc niveo candebat lumine vultus,
Fuscabat madidas nubilus imbre genas.
Nec malè: venturi solis mihi nuntius ille
Obtigit; amissi nuntius alter erat
Quod facit, hoc gratũ est: i protinus, Angele, dixi:
Longa mihi damni vel brevis hora mei.
Nectuntur scribendo moræ; sufficerit istud
Dicere vel sola voce. MARIA dolet.
Scribo tamen, sic cogit Amor: quantúlibet vdis
Luminibus calami præpediatur opus
Quascumque aspicies charta squallente lituras,
Perlege; maternæ pondera vocis habent.
Tertius affusas sol mundo dissipat vmbras
Et madidam sparso lumine siccat humum
Cùm mihi, sed frustra, pectus suspiria rumpunt,
Et solima amissus quæreris vrbe puer,
Sive diem numeres, seu tardæ tempora noctis,
Non caruit lacrymis ille, nec illa meis.
Sæpe locum incusans, qui nos acceperat ambos;
Venimus (exclamo) si duo, redde duos.

Vel nato matrem, vel natum redde parenti;
Quodlibet hospitium dulce duobus erit.
Cur animis juncti tecto non jungimur vno?
Heu, vbi pars nostri maxima, CHRISTE lates?
Hæc ego dũ gemebunda queror, subnixa fenestræ
Pallidaque aspiciens sidera, tristis erám,
Nimirum vt tacito palantia sidera mundo
Eniteant, summæ luminis vnus abes,
Pæne (fatebor enim) cœlo convicia feci,
Ausaque sum verbis astra ferire meis,
Astra, quid? inclamo: Reges duxistis 1. Eoos
Ad cunas pueri, qui mihi natus erat:
Ducite nunc matré; nec enim malè debita posco;
Vtque reor, parvum est quod præeatis iter.
Vix ea finieram, cœlo indoluisse putabis
Sidera; nube suas occuluere faces.
Ite, licet, stellæ, confundite nubibus ora.
Non regitur vestro lumine noster amor.
Sidera bina tui, IESV, quæruntur ocelli:
Sidera maternam ducere docta ratem,
Cętera quid memoré? seu primi vesperis vmbras,
Seu loca tristitiæ conscia facta meæ?
Reddita erant Solymo Paschalia munera templo
Cœperat & notâ quisque redire viâ,
Iosephus comes inde viris, comes inde redibam
Matribus: incertum cui comes ipse fores.
Credula res amor est: malè sed coniecimus ambo
Inter & isse viros, inter & isse nurus.

A 3 Interea

1. *Eous matutinus, sive Orientalis: Græcis enim* ἠῶς *&* ἕως *aurora dicitur.*

Interea 2. Ramæ, 3. Gabæque relinquimus vrbes
4. Cissæasque olim regia tecta domos.
Iamque propinquabāt 5. Macmas, fistique jubebat
Vltima pars lucis, primaque noctis iter.
Cùm mihi nescio qua subitò formidine tactæ,
Incerto mœstum vulnere pectus erat.
Nec tenui gemitum: stabat quæ proxima nobis,
Quid subiti casus pectora turbat? ait.
Ipsa ego nil aliud quàm formidare locuta,
Suppressi lachrymis cætera verba meis.
Scilicet hinc aberas, frustra quærendus IESV,
Sive viros inter postmodo, sive nurus. (ter:
Fit clamor, gemitusque: feror circùm anxia ma-
Acta est in lacrymis nox mihi: quanta fuit!
Manè erat; egredimur flentes, Solymamq; redi-
Tēpestiva meis, heu nimis illa malis! (mus:
Quid facis, ô Solyme! quo te vesania raptat?
Quo mihi commisso durior esse potes?
6. Infantem quondā dedimus tibi; furta rependis
Heu, mala perfidiæ nuntia prima tuæ,
Dura sed est Solyme, nec nostris surda querelis
Tangitur immiti condita rupe Sion.
Affer opem, IESV, mœstamque revise parentem:
Plus mora quàm lethum te sine fellis habet.
Confiteor

2. 3. Ræma & Gabaa sive Gabe, vrbes, quæ Hierosolymā Nazaretum revertentibus primæ occurrunt: & Gabaa quidem Saülis, 4. filij Cis ortu, ac postea regio domicilio nobilis 5. Macmas oppidulum quinto ab Ierosolyma lapide: quò verosimile est Martam ac Iosephum primâ reditus vespera pervenisse. 6. In purificatione, quando ex lege oblatura filium in Ierusalem detulit.

Confiteor quondam peregrinas visimus oras,
Quà prope limosis 7. Nilus oberrat aquis.
Dulce tamen sic ire fuit, comes additus ibas,
Exulis & nati mater & exul eram.
Sarcina pendebas collo, brevibusque lacertis
Quàm premeres matrem, tam leve pōdus eras
At modò qua Solymæ profugus statione moreris
Nec mihi quæ subeas limina, scire licet.
Hinc Iosephus abit; feror huc; clamatur IESV.
Sed loca quod reddant nil nisi nomen habent.
Est aliquid (fateor) nobis locus aggemit: ille
Quam differs, matri ferre videtur opem.
Interea quas calco, viæ ploratibus hument,
Combibit & lacrymas quælibet herba meas.
Vetum erat ad portas: qui stabat miles in armis
Multa mihi de te, multa rogatur anus.
Addimus & faciles (si te modò viderit vsquam)
Quo citiùs nobis repperiare, notas.
Bisseno puer est anno, violacea vestis,
De tenui filo textile matris opus.
Cæsaries illi crispum flavescit in aurum,
Depingit niveas purpura viva genas.
Lætitiam vultu spirat, cognoscitur illâ:
Tolle fugam, nulla parte dolendus erit.
Illa sibi visum templi circùm atria narrat,
Egressum muris altera narrat anus.
Accrescunt curæ, nunc huc, nunc dividor illuc:
Ardor inexpertum nil finit esse meus.
Et modò per Solymæ vicos, templique recessus;
Et modò mactandas quæreris inter oves.

7. Nylus Ægypti fluvius, qui & eandem alluvione sua oblimat, fœcundatq;.

Excurro, ſurgunt 8. oleis quâ culmina: vel quâ
 9. Golgotheus ſiccis oſsibus albet apex,
Quin 10. Zachariadæ quoties latebroſa recurſât
 Teſqua, illuc etiam me novus ardor agit:
Quis ſcit enim mores num fors pertæſus iniquos
 Ponere vis iſtâ bis duo luſtra caſâ,
Effice, quidquid erit, partes veniamus in illas:
 Poſſumus & nudâ ſternere corpus humo.
Et mihi mella placent quernis ſudantia truncis;
 Quique ſitim gelidæ proluit humor aquæ.
Ipſa comes veniam; nec me ſpelæa movebunt,
 Antraue crudeles ſueta fovere lupos.
Nimirum ſylvâ ſi quis lupus accubat iſtâ;
 Hoſpitio cœpit mitior eſſe tuo.
Nec nocet hîc ſerpens; nec virus, luſibus apta
 11. Vipera, quo quemquam lędere poſsit, habet
Ipſa ego poma legam ſummis pendentia ramis,
 Et plenâ carpam dulcia fraga manu,
Sic agimur votis: quantus, dulciſsime noſti
 Sis mihi nunc Solyma perditus vrbe, dolor.
Et dolor & timor eſt: auget timor ipſe dolorem,
 Dùm tam falſa animus, quàm mala certa timet.
Seu quis Pontificis, ſeu Præſidis atria narret:
 Hæc mihi ſunt ipſo nomina dura ſono.

Seu

8, *Mons Olivarum*, 9, *Golgotheus Calvariæ mons, ab Hebræo Golgotha*, 10 *Zachariades Ioannes Baptiſta, â Zacharia Patre*. 11. Habitabit lupus cum agno, & decũbabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Iſa. 8. *quod quidam ad tempus Meſsiæ referunt, impletumq; aiunt ad litteram in Ioanne Baptiſta, qui puer in deſertis habitans, Leonibus ac ſerpentibus innoxiè colludere ſolitus fertur.*

Seu quis 11. Maltacidem Solymæâ viderit aulâ:
Maltacides nostri causa timoris erat,
Interdum timui, ne quod sine matre vagaris,
Causa tuæ fuerim forsitan ipsa fugæ,
Parce precor, puerum tractavi viribus impar;
Cætera fœmineæ non valuere manus.
Quod primum gelidæ sensisti frigora brumæ,
Straminea recubans vix bene natus humo,
Quid potui genitrix? genitor sic iusserat edi,
Idque tuum fuerat iussa sequentis opus.
Attamen & madidos siccavi flentis ocellos,
Et tepido fovi membra tenella sinu:
Lac quoque molle dedi: panē crescentibus annis,
Et quidquid potui reddere mater opis,
Debueras aliam, puer, asciviſſe parentem:
Ancillæ officio vix bene digna fui.
Atque vtinam ancillas inter modò! forté petenti
Porrigerem promptâ candida liba manu.
Hæcque tibi tradens, puer ô pulcherrime, matre,
Quò sine, subiicerem, quò sine matre fugis?
Hîc remane paulùm, matremq; accersero: dicat
Hoc, ancillarum quæ tibi cunque favet:
Solatur Ioseph (socio nam scribimus illo)
Mox erimus plures, nec puto fallor, ait.
Ecce nos plures, lacrymis, precibusq; petite,
Et penitus toto corde recepte mihi.
Sic faveant Genii, cœli lætissima turba,
Sed propè iam lacrymas mœsta videre meas.

11, Maltacides Archelaus, Herodis Infanticida ex Maltace coniuge filius.

Sic mihi ſuccreſcant majora ad vulnera vires,
Golgotheo quando monte ſequendus eris.
Sic mihi parcat Amor, donec te funere perdam;
Deque tuo noſtrum tranſeat haſta latus,
Sic mea ſupremo claudatur Epiſtola voto,
Quod cupiam vultu matris amante legi,
Vel puer ad matrem fugitive revertere: vel me
Quò properas Domini more venire jube.

EPIS-



EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

IEPHTE *Galaadites, qui Duces inter Israëliticos nomen, famamque obtinuit, cum adversus Ammonitas dubio marte pugnaret, victoriam voto pactus est: Deo scilicet immolandi, quemcumque primum, à cæso stratoque hoste revertens obvium haberet. Accidit autem vt filia eius vnica, quam quidam* SEILAM *appellant: nobis autem à patre* IEPHTIADA, *seu* IEPHTIN *appellare placet, prima in occursum parenti victori gratulabunda processerit. Quod vbi advertit* IEPHTE *gravis eum subditò dolor & pœnitudo invasit; vtique voto, de quo iam memoravi, obnoxium.*

Quamobrem contravenire non ausus. de nete & victima, quam in sacrificium. atque obtentæ victoriæ pretium, pactus erat, filiam admonet: similiter hac religione paterni voti ducta, parenti sese vltro permittit. Nibilominus binos menses postulat obtinetque, quibus per Sylvas errabunda cum sodalibus, primum iuventæ suæ florem propero fato occupandum deploret. Dum hæc agitat, sensimque dies elabuntur: sub extremum mensis secundi hanc Epistolam ad patrem scribit: in qua infortunium suum exagitans, rationes adfert quibus paternum animum emolliat, & à cruenta sententia retrahat. Cæterum vt vt fuerit, statuto tempore venturam se pollicetur, iugulumque ferro oblaturam, vt nova victima ad aram procumbat.

Lib. Iudic. cap. 11.

Iephtias Iephte.



2

SYMBOLVM.

Lepus timidum naturâ animal, atque adeò in fugam pronum. In hoc *Iephtiadem* agnoſce, nemora inter & ſaltus pavidam: ſibiq́ue mortis effugium per Epiſtolam quaſi captantem. Vtrique lemma convenit.

——————*Si fortè ſalutem*
Curſus meta ferat.

Iephtias

Iephtias Iephte.

QVæ tibi Iephtiadis ſignatur Epiſtola voto,
Venit ab vmbroſis [1] Galaad illa iugis.
Cauſa viæ iuſta eſt: venit oratura ſalutem,
Quæ nunquam inſonti iure negata fuit.
Forſitan incultam mirabere fronte papyrum,
Albaque pulvereas vellera paſſa notas,
Da veniam, genitor: fatis agitamur iniquis:
Quam trahimus, vitæ convenit iſte color.
Nimirum occurſat lethi feralis imago,
Pallidaque in vultus tranſvolat vſque meos
Otia ſeu ſylvis, ſeu fontibus otia ca[n]tem;
Fata mihi ſylvæ, fata loquuntur aquæ.
Eſt locus vnde tibi nūc ſcribimus, obſitus vmbrâ,
Plurima quâ viridem taxus opacat humum:
Alta quies illic circumque ſilentia lucum
Horrificant: nullas eſſe putabis aves,
Sola ſibi raucùm defuncto compare turtur,
Aggemit: vt media cætera nocte ſilent
Illa ſuo, noſtro ſed & aggemit illa dolori,
Erudit & gemitus ad mea fata ſuos.
Ah! quoties dixi: turtur gemebunda, quid vſque
Concinis in fauſtum [2] præfica carmen avis?
Scimus, & ille mihi cantus fatum occinit; ille
Sanguinolenta mei vota parentis habet.

Interea

1. Galaad regio trans Iordanem, ipſiusque terra promiſſa limes. Ad orientem, montoſus, ac nemoroſus: quem Iephte è tribu Manaſſe oriundus incoluit, unde & Galaadites dictus eſt. 2. Præficæ apud Antiquos, mulieres erant conductitiæ ad lamentabilem cantum ciendum infuenri bus

Interea quamvis lethi niger ingruat horror,
Sylvaque conſpectus terreat atra meos:
Saxa tamen miſerata meas ſine crimine pœnas,
Molliri noſtris edidicêre malis. (mant:
Nam quoties clamo, toties nemus antraque cla-
Meque ſilente ſilent, meque gemente gemunt,
Ergo etiam duræ plangant mea funera cautes;
Cautibus ipſe pater durior vnus erit?
IEPHTIAS infelix meliori digna parente,
Si tam ſaxoſum pectore robur habet!
Vincimus? an contra necdum pater exuit iram?
Et revocat patrias in ſua iura fibras?
Vincimus, ô genitor: ſuccedunt tædia voti,
In tua quæ carus pectora verſat amor,
Forſan & abſenti ſucclamas: filia vive:
Vive, nec vnius funere perde duos.
Cùm fatis conjux ceſsit, tibi, teque relicta
Dimidia genitor parte ſuperſtes eram.
Quò rapimur? culpa eſt cædem voluiſſe: quid vl-
Vrgemus pavidas ad fera juſſa manus? (tra
Novimus 3. Abramidę iugulū malè prębuit enſi;
Quod pater incœpit, 4. reſcidit Ales opus,
Quid facis? exclamat: vibratę parce ſecuri:
Sta, voluiſſe ſat eſt, nuntius Ales ait:
Fundere quē properas, non hæc ſitit ara cruorem.
Reſpice, quæ petitur victima dumus habet.
Conſtitit hîc aries implexus cornua dumo:
Hic iuſſam effuſo ſanguine tinget humum.
Non ego ſum tāti: verùm hac ſub imagine mortis
Erigor, & votis blandior ipſa meis.

Namque

3. *Abramides Iſaac ab Abrahamo, ſive Abraamo patre ita dictus,* 4. *Gen. cap. 22.*

Namque sub occasum lucis, cum fortè vagarer
 Quà prope Masphatico sylva recedit agro,
Protinus exiliens nemoroso cerva recessu,
 Me petere adversam visa; nec hostis erat:
Constitit vt propiùs, iuvit spectasse, diúque
 Detinuit vultus molliter illa meos
Circùm colla fuit maculosi velleris; illam
 Excipias labem, cætera lactis erant,
Hanc ego cũ primò dubitarem stringere; Iephti,
 Stringito, de nostris vna sodalis, ait
Quis scit an hęc patriũ tinctura est sanguine cultrum?
 Nēpe quod olim aries, hoc quoq; cerva potest.
Stringo feram, sequitur non indignata ligari:
 Molliùs vt traherem serica zona fuit.
Ex hoc (crede mihi) sacros nutritur in vsus,
 Si quando letho sufficienda meo est.
Ah! quoties blandæ dum tergora mulceo cervæ,
 Implevi lacrymis talia verba meis!
Indoleo, pia cerva tibi! qua mucro minetur,
 Quaque tibi nescis parte vibrandus erit,
Quod tibi sit cervix collo maculosa, futuri
 Indicium certè vulneris illa gerit,
Grande tamen cędis pretium tibi: crimina tolles:
 Quæque insons per te filia vivat, erit,
Quidquid id est, timeo: lacrymæque per ora cadentes,
 Vicini tacitum funeris omen habent.
Proditus es, genitor: quid voto crimen obũbras?
 Esse pius fuso sanguine nemo potest.

Consule

1. *Maspha sive Masphath, regio trans Iordanem, ad radices montis Hermon. Iephte patria.* Iudic, 11.

Consule quas leges naturæ scripserit ordo,
Ille mihi justa plus quoque parte favet.
Fallimur? an cæsus populum servaverit hostis,
Vnaque quam perdat Galaaditis ero?
Profuerit pater externis; ego filia cædar?
Reddita victori cantica, crimen erunt?
Ah! vtinam tunc cùm tectis exire paternis
Mens fuit, hæsisset pes mihi fixus humo!
Artubus aut lassis violenta febre stetissent
Languida virgineo tunc mea membra thoro.
Quæ malè festivâ pulsavi tympana dextrâ,
Debuerant bellis insonuisse tuis.
Non erat ille sonus victi prænuntius hostis,
Ille sonus verè bella moventis erat.
Nec tamen aversor mortem, votumque retracto,
Sufficit exiguæ copia facta moræ.
Quam gero non tumulum, connubia postulat ætas.
Carpitur ante suum flosculus iste diem.
Si mihi IEPHTIADES patriâ colluderet aulâ,
Fortia, qui magni facta referret avi:
Depositis certè maiori parte querelis
Inciperet noster mitior esse dolor.
Viveret ô vtinam mater! fera jussa parentis
Molliret lacrymis forsitan illa suis.
Sed frustra est: perstat duro sententia patri:
Sanguine quo pacta est, dissolüenda fides,
Nulla mora est, genitor: venio tibi victima: tinget
Quem mihi donasti jam tua tela cruor.
Ante oculos aræque meos cultrique nefandi,
Ante meos oculos in patre tortor adest,
Deprecor hoc vnum, tibi cùm nova victima sistar
Cæsura ad patrios sanguinolenta pedes.

Vltima plectendæ libes pater oſcula natæ.
Lenibunt pœnas ſcilicet illa meas.
Forſan & adijcies jam formidabilis enſe,
Quod facio, conſtans filia, perfer opus:
Quem priùs ira tulit, pietas nunc ſuſtulit enſem:
6. Ammonibus gravis hic, hic tibi mollis erit:
Viderit iſta Deus, qui nunc mea pectora verſat,
Atque vmbræ placidus ſit precor ille tuæ.
Forſitan iſta refers lacrymis tingentibus ora,
Et gemitu medios impediente ſonos:
Ipſa ego diſponor, reditumque ad patria tecta
Apparo, tecta oculis mox rapienda meis,
Interea Nymphæ, charæque valete Sodales,
Admiſsi memores ſed tamen eſte mei.
Excurriſſe domo nimiùm fatale puellis:
Altera 7. Iacobias, altera plector ego.
Huc ades, ô 8. Thamarylla, meis comes addita fatis;
Et fidâ ſepeli corpora cæſa manu.
Tu quoque poſtremis cõſors ploratibus 9, Ægle
Huc confer lacrymas, vltima dona, tuas.
Pluraque vaticinor; venient huc mæſta puellæ,
Agmina, Galadij floſque decuſque ſoli:
Pars calatho violas, pars candida lilia fundet:
Pars tenerâ ſparget noſtra ſepulcra roſâ,

Quæque

6, Ammon unde Ammonitæ populi erãt Iſraëlitis adverſarij ex Loth & minore eius filia oriundi. quos Iephete profligavit, 7, Iacobias, Dina, à Iacob patre ita appellata: quæ progreſſa ad Ludorum ſpectacula. à Sichemo Hemoris Hevæi Principis filio oppreſſa eſt, Gen. 34.
8. 9 Thamarylla & Ægle pro nominibus ſociarum filiæ Iephte hic ſumuntur

Quaq;per vmbroass valles prætéditur 10.hermō
Ibitur in tristes 11, annua festa, choros,
Tympana pulsabunt, malè quæ pulsavimus olim:
Conveniunt fatis scilicet illa meis.
Populus est illic denso pulcherrima ramo,
Illa meum scripto cortice nomen habet.
Popule, vive precor meâ post quoque funera; quamvis
Tristior atratâ conspicienda comâ.
Quæque vdo inscripsi funebria carmina libro,
Fac crescant titulis officiosa meis.
Atque vtinam sylvâ quoties spatiabitur illâ,
12. Scripta Manassæus perlegat ista nepos,
Iephtias infelix, florenti nubilis ævo,
Concidit ad patrios victima cæsa pedes,
Fecit & hoc genitor, fecit quoque filia: causam
Hæc necis occursu præbuit, ille manum.

10. *Hermon mons Galaaditidi regioni adiacens, amœnis hinc inde vallibus.*
11. Exinde enim (*ait sacer textus*) mos increbuit in Israël, & consuetudo servata est. vt post anni circulum conveniant in vnum filiæ Israël, & plangant filiam 12. *Posteri Iephtæ ex tribu Manassæ oriundi.*

EPISTO-

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

FVit ex tribu Nephtali TOBIAS, *vir fidei ac pietatis, quàm fortunæ pertinaciâ clarior, quippe qui subáctâ Palestinâ à Salmanasaro Assiriorum Rege, ita in exilium cessit, vrbemq; Niniven incoluit: vt cōtra infortunium validus, numquam animum ab eo quod æquum justumq; erat, deflexerit. Cæterum cæcitate ad summam rei familiaris inopiam adjectâ, cum pecuniæ meminisset, quam alias apud Gabelum contribulem deposuerat, eò filium Tobiam mittere statuit. Cum autem Gabelus in Rages civitate Medorum domicilium haberet, quærendusq; viæ ductor & comes esset: Historia prodit Raphaëlem Angelum sese ad id muneris obtulisse, talemq; se gessisse, quamquam simulatò nomine, habituq; igitur rebus constitutis dant se in iter: sed cùm ambo tardiùs, quam promiserant, reverterentur: siquidem Tobias cum Sara consobrina Raguelis filia matrimonium contraxerat, parentes de ejus salute solliciti variè agitari, tum verò maximè ejus mater* Anna irremediabilibus lacrymis flere cæpit. *Quæ quidem hac Epistola angores suos, & lacrymas filio exhibet: simul obsecrat, vt si quid penes eum pietatis adhuc supersit, parentes anxios omni metu eximat, & quam primùm, expeditis negotijs domū revertatur.* Tob, cap. 10.

Anna

Anna Tobiæ.



SYMBOLUM.

Vinea, quam aſpicis, effractis avulſiſque fulcris humi repentem, *Tobiæ* parentes exhibet, luctu proſtratos; emiſſo videlicet, nec adhuc reduce filio, quem *ſenectutis ſuæ baculum* vocitabant. Quàm ytrobique verum.

Sine ſtipite languet.

Anna

Anna Tobiæ.

TE tua TOBIADE, mater lacrymabilis Anna
Vltra pollicitũ tẽpus abesse queror.
Limine cùm primo stares abiturus, & illic
Exciperes verbis vltima iussa meis,
O mea lux, dixi: si te pia cura parentis
Tangit, fac redeas ad mea vota celer.
Tu quoque cõplexus inter, lacrymasq; parentis
Exiguo dixti talia verba sono:
Ne dubita, mater, reditus me cura lacessit,
Et tuus huc etiam sponte reducet amor,
Tempora fac numeres: cùm plena coiverit orbe
Luna, viæ finis, quæ modo cœpta fuit.
Luna semel, totoque iterum semel orbe coivit;
Nullaque de reditu nuntia fama tuo.
Ah! melius qui te peregrinas nummus in oras
Expulit, obscurâ delituisset humo.
Non tibi quas absens calamo trãsmitto, querelæ,
Cepissent tantas in mea damna moras.
Aureus vt multis fuerit, qui protulit aurum;
At nobis certè ferreus ille fuit.
Cur sileam? gemino currunt mihi lumina fonte;
Inque abeunt similes ora soluta modos.
Heu! vbi lentus abes? cur te dimisimus vnquam,
Nate, dolor matris; nate, parentis amor?
Non erat, infelix repetenda pecunia tanto
Pignore, tu nobis omnia solus eras.
Quid faciam? quo sola ferar? cæcoue parenti
Te sine quis post hac suppeditabit opem?

Mater anus, seniorque pater; sine viribus ambo;
Ille suum fatum sustinet, illa suum.
An tibi vis scribam, quis pectora concitet æstus,
Vdaque quàm crebris ora rigantur aquis,
Finge tibi matrem scissâ tunicaque comaque
Lugentem nati funera; talis ego.
Adde quod & genitor, quātumvis lumine cassus
Plus solito affligi se quoque nocte gemit.
Scilicet exul abes, quem cùm domus vna teneret,
Iucundi nobis luminis instar eras.
Ah! quoties pater exclamat: quid fecimus ipsi?
Divitiis potior natus habendus erat.
Vive, licet, quamvis rapuisti lumen, hirundo:
Magna, sed antiqui signa doloris habes.
Plus mihi 1. TOBIADES absens nocet: ille tenebras,
Condensat, nostrum surripit ille diem.
Hæc genitor; justâ mater turbatior irâ
Condemno nimiâ credulitate senem.
Quid facis? inclamo: nunc nunc circumspice mente,
Quò per distractas spes tua venit opes.
Funera curabas, vivos vt condere posses.
Heu miser! illa tui meta loboris erat.
Fortior ille tamen redituri tempora nati,
Præcipit; & quæstus temperat ille meos.
ANNA, quid in luctū ferris lacrymabilis? inquit.
Cur sic immodicis fletibus ora rigas?

Mitte

1. *Tobias ab hirundine obcæcatus est. de quo sic habes cap. 2.* Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniēsin domum jactasset se iuxta parietem & obdormisset. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus.

Mitte queri, quem ſic fruſtra ploratibus vrges,
(Singultus, precor ô comprime) vivit, ait
Nec reor hoc fallò : ductoris provida certè
Vt credam virtus, ſedulitaſque facit.
Quin & vaticinans, venturaque tempora doctus
Longa tibi vitæ ſtamina nenda canit.
Nimirum ſtabili properantibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimet, ille tuos,
Interea tamen vſque tui me cura fatigat,
Et placidam dubius non ſinit eſſe dolor.
Non aliter flatu turbantibus æquora ventis,
Fluctuat incertâ quaſſa phaſelus aquâ.
Non aliter validis ſegetes aquilonibus horrent,
Et leuis in madida canna palude tremit.
Quid quod ſcire avidus cauſamque modumque morarum
Multa ſibi fingit ſuſpicioſus amor?
Nam modò Gabelum mordacibus increpo verbis
Nec prohibet reditus forſitan ille tuos.
Forſitan at fato Gabelus ceſsit, & inde
Cogeris incertas ire redire vias.
Fallimur an 2, Saræ forſan connubia captas?
Heu mihi funeſtâ flebiliora tubâ!
TOBIADE, moneo : Saræ connubia vita,
Ne conſanguineus funera jungat Hymen,
Vrgeat hoc ductor quávis Raguelque: parentem
Fas mihi ſit, dicas, conſuluiſſe priùs.
Interdum timui, ne dum tranſmittitis amnes
Ore necaturas acciperetis aquas.

Nec

2. *Sara Raguelis filia & conſobrina Tobiæ ſeptem viris tradita fuerat, qui prima nuptiarum nocte ab Aſmodæo dæmonio ſtrangulati ſunt,* Cap. 6.

Nec timui frustra: iuvenem prope fluctibus hau-
Nuper fama fuit: quique referret erat. (stum
Membra levaturus iuvenis descenderat, inquit,
Quâ 3 Tigris primas porrigit amnis aquas,
Cum subitò exiliens metuendo corpore piscis
Ore minax, prædæ visus hiare suæ.
Extimuit iuvenis, totoque expalluit ore.
Frigidior tactâ tunc quoque factus aquâ,
Et periturus erat, sociam nisi protinus alter,
Qui comes adstabat, voce tulisset opem,
Addidit & 4. fellis tractas de viscere partes,
Linimen cassis vtile luminibus.
Subieci tacitè mecum: opportuna marito
Fellea quantumvis, ista medella foret,
Erigor interdum, nostris que offensa querelis
Accuso lacrymas fortior ipsa meas.
Sæpe videns cœlum puro spectabile Phœbo.
TOBIADES dicò, si valet, ipse redit
Et cur non valeat? subdit pater: ah! valet, inquit
Et reducem mediâ suspicor esse viâ,
Talibus erigimur dictis, primasque subinde
Capto tui reditus officiosa notas.
Monte minor collis, campis sublimior æquis
Stat propè quà 5. Medû 6. Niniva pandit iter
Hunc

3. *Tigris fluvius Assyriam pelluens, à velocitate sic dictus: quod eam feram, vel sagittam, quam etiam Medi tigrim appellant fluctuum rapacitate imitari videatur.*
4. *Fel piscis à Tobia sepositum Archangeli iussu*: fel *enim* valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo, & sanabuntur *cap. 6.*
5. *In Rages civitatem Medorum,*
5. *Ninive vrbs Assyriorum in qua Tobias exul domicilium habebat.*

Hunc ego conſcendens molli proclinor in herba,
Lætaque proſpectu metior arva meo,
Nec lacrymæ prohibent, illis quamtum libet vda
Longiùs aſſueto lumina noſtra vident.
Inde ego quas lõgè venientes conſpicor vmbras,
TOBIADEM credo protinus eſſe meum,
Fallimur ah quoties! quoties mendacia dixi,
Exemploque nocens ſum propè facta tuo?
Vidimus heſterni ſub primam veſperis horam
Ire canem. Domini ſigna ſequentis erant,
Vt vidi, vt ſolita cœpi compellere voce,
Lætaque comploſæ ſigna dedêre manus.
Conſtitit attonitus: falſam me denique ſenſi:
7. Qui tecum exierat, non fuit ille canis.
Indignor falliqué pudet: iam iamque parabam
Que ſolet iratus promere verba dolor
Et canis hoc timuit; vel vt hoc timuiſſe putarem,
Obliquâ fugit longiùs ille viâ.
Sic vbi ſera dies fuſco decedit Olympo,
Claraque laſſàtis ſol iuga demit equis:
Mœſta domũ repeto; ſuſpiria crebra ſequuntur,
Quamque premo, lacrymis humet arena meis
Vtque domus tetigi primum mœſtiſsima limen,
Et ſtrepitum inſertâ clave dedêre fores.
Obvius accurrit genitor, greſſuque labeſcens;
ANNA quid? (exclamat) quid precor ANNA refers?

7. *Sic enim cap. 6.* Profectus eſt Tobias, & canis ſecutus eſt eum. *& cap.* 11. Tunc præcucurrit canis qui ſimul fuerat in via; & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

TOBIADES rediit? ſuſpiria reddimus; illa
Nempe negaturæ pondera votis habent.
Nec mora congemimus, lacrymæque per ora cadentes,
Inque ſinum, rigui fluminis inſtar eunt.
Et tu lentus abes? nec te promiſſa reducunt,
Quique tuo forſan pectore friget amor?
Huc revoca greſſus: precor ô miſerere tuorum,
Per lacrymas oro, meque patremque tuum.
Rumpe moras vel dede neci: par pœna parẽti eſt,
Seu mors, ſeu longæ, quas trahis vſque, moræ.



EPIS-

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

HErodes *Aſcalonita domo Idumæus, cùm per* Mariamnæ *nuptias, quæ ex Aſſamonæis & Machabæis Genus ducebat, Iudaico ſceptro inhiaret: idque initiò aliquamdiu vafrè diſsimulaſſet, tandem gloriæ & ſanguinis appetens animus virusquod fovebat, nec ſine crudelitatis facinore profudit. Nam primò Hyrcanum annis gravem, ac Pontificem ſummum apud Iudæos, necnon* Mariamnæ *avum ex Alexandra filia interfici iubet. Tum Ariſtobûlum* Mariãnæ *fratrem primam adhuc intra iuventam,* Hyrcani *in Pontificatu ſucceſſorem per inſidias aquis ſuffocat, Exinde verò* Mariamnam *quoque coniugem, quaſi veneficii accuſatam carceri mancipat, mortè poſtea, vti contigit mulctandam. Cùm igitur* MARIAMNA *id per ſatellitem intellexiſſet, ex carcere hanc ad* HERODEM *Epiſtolam ſcribit: in qua ferociam eius ac barbariem accuſando, graviter conqueritur. Filiorum item* Alexandri *& Ariſtobûli, quos ex eo tulerat, & iuniores relinquebat, infortunium deplorat: lugetque tàm barbaro patre natos à quo ipſimet quoque poſtea in iudicium & capitis pœnam accercendi forent. Vt vt ſit, affirmat ſe quidem libenter, quando ita neceſſe eſſet (quamquam per ſummum nefas) oppetere. Denique* HERODI *infelicem exitum ac diras non tàm imprecatur, quàm veluti vaticinando denuntiat: quod vtique evenit, turpi atque infelici morte defuncto.* Ioſephus. Salianus tom. 6.

Mariamna Herodi.



4

SYMBOLUM.

Cupido ſive Hymenæus, qui Nuptiarum Deus apud veteres habitus eſt, ſepoſitâ ad latus tædâ & arcu lanium hîc agit: ſimulque *Herodem* exhibet, *Mariamnæ*, quam ſibi conjugio copulaverat, interfectorem. Quippe etiam interdum in amore dolus eſt; & ne fallaris.

Stringunt quoque ſerica fauces.

Mariamna Herodi.

PErlegis? an feritas prohibet tua? perlege; sunt hæc
Vltima damnatæ verba notata manu.
Infelix MARIAMNA tibi malè nupta marito,
Iudice te moriens in tua facta queror.
Nec queror; humana quòd te prece posse moveri
Fortè putem; pectus tigridis intus habes.
Da veniam pietas animi vetus hospita; cogit
Si modò succensens aspera verba dolor.
Proderis, HERODES: tua te per facta recelas,
Semina sanguineæ nil nisi mentis alis.
Non te terra tulit, quà sylvis horret Idume:
Te rupes, sævæ te genuere feræ.
Pœne manus calamũ excussit; quid inania, dixi,
Et frustra duro scribimus ista viro?
Sed cùm perdiderim sceptrum, 1. fratremq; 2. patremque.
Mox etiam vitam, perdere verba leve est,
Scribimus, atque vtinam venis mucrone reclusis
Exiret iussus in mea scripta cruor!
Nimirum quam mitto, meo livere cruore
Debuit, & factis charta rubere tuis.
Da breve scribendi spatium, scelerate; rubebit;
Tinctus & à nuptæ cæde libellus erit.
Sed malè quò rapior? quò me dolor vltimus vrget?
Tempestas animo non sedet æqua meo.

B 3 Illa

1. *Aristobulum*, 2, *Alexandrum*, *vel si mavis Hyrcanum Pontificem Mariamnæ avum*.

Illa dies nocuit, quâ junctâ fœdera dextrâ
Contraxi, in thalamos vxor itura tuos,
Non aliter sævo accipitri sine felle columba,
Non aliter rapido iungitur agna lupo.
Non ego peccavi, suasit conubia mater,
Et malè succensas prætulit illa faces.
Quid? quod & Hyrcanus mitrâ gravis auctor & annis.
Annuit? arbitrium neptis habebat avus.
Tuque fefellisti blandis sermonibus vsus:
Quem gereres, vultus non erat ille tuus.
Scilicet occultè genialis imagine tedæ,
Prensabas avidâ regia sceptra manu.
Quidquid id est (fateor) pudor est placuisse tyranno,
Teque ferum verbis detinuisse meis.
Vos quoque, vos mecũ Solimæ peccastis amicę,
Quæ mihi porrectâ membra rigastis aquâ,
Cum gemmas digitis, cum tortile crinibus aurũ,
Festaque nubenti vota daretis heræ:
Sæpius illacrymans (memini) suspiria traxi:
Nec mihi, nec patriæ candidus Hymen erat,
Quod petit HERODES, nil est nisi regia Iudæ
(Vtraque sum vates) sceptra, cruorque meus.
Nec differre diu placuit, quin sanguine fuso
Pollueres fœdâ non tua sceptra manu.
Prima secuturas inter cadis hostia cædes.
3. Hyrcane & nudam sanguine tingis humum.
Indè

3. *Hyrcanum Pontificem per calumniam necat Herodes, quasi scilicet fugam meditantem, & regnum, Malesi Arabis ope ambientem.*

Inde, ſcelus ! (iuſto deſunt ſua verba dolori !)
Occidis & patriæ , 4, frater adempte , meæ.
Æſtus erat; gelidæ formoſo gurgite lymphæ
Apta nataturo ſtagna locumque dabant.
Hunc petis infelix , viridiſque in margine ripæ
Ponis humi veſtem : corpora flumen habet.
Heu ! malè quò ferris? latet iſto proditor amne,
Et tenet occultas inſidiator aquas.
Scilicet occumbis : liquidi ſub imagine ludi ;
Et crevit lacrymis alveus iſte meis,
Quid referam, quoties thalamos ſuffoderis aſtu,
5. Reddiderint viduas & tua iuſſa nurus ?
Ah ! quoties dixi : ſtricto præluditur enſe
Si neſcis, fatis . ô MARIAMNA, tuis!
Cùm ferit hinc ſepem , circumq; arbuſta ſecuris ;
Quod ſibi tunc timeat proxima myrtus habet.
Fortè aderāt 6, nati:ſed & hi;dolor!hoſtia vivūt
Caſura in fraudes ſanguinolenta tuas.
Quid facinus? mœſtæ chariſsima pignora matri,
Materies lacrymis ſola pianda meis:
Quid facimus? ſtabant ſtrictis amplexibus ambo,
Cùm matri abreptos longiùs ire iubes.
Perfide , & hac etiam ſevis pietate ? quid illis
Heu ! ſine matre pater? nil niſi tortor erit?
Flent gemini : rapimur , genitrix chariſsima ,
clamant :
Senſerunt duri perfida iuſſa patris.

4. Ariſtobulus Mariamnæ frater anno ætatis 17. dum iuveniliter ſeſe balneo oblectat , iuſſu Herodis , ſed quaſi per ludum aquis ſuffocatur.

5. Plurimos Nobilium è medio tollit.

6. Alexander & Ariſtobulus Herodis ex Mariamna filij.

Nec mora, complexu madidisq; recepimus vlnis,
Strinximus & tepido corpora bina sinu.
Ite boni, & memores matris, jussique paterni
Inferias animæ iustaque ferte meæ.
Attamé heu! vereor (superi removete quod intus
Cor pavet & dubio succutit ossa metu)
Ite boni, & si quid properantiùs ordine fati,
Vos etiam turbo patre furente petat,
Matris ad exemplum generosæ occũbite morti,
Et vitâ & regno clarius istud erit.
Flecteris, HEROIDES? an, quo mos omnia vultu
Excipis, & siccis perlegis ista genis?
Cur dubitem? arescunt oculi tibi pumicis instar,
Et cor quod silices, saxaque vincat, habes.
Regius interea vultu mœrente satelles
Venit. & oppositâ lumina fixit humo.
Protinus agnovi quid mœsta silentia ferrent:
Occultus tunicâ ferreus ensis erat.
His mea muneribus conubia regia donas?
Sic tibi sum vilis, sic tibi visa nocens?
Quâ merui culpâ virus sparsisse putari,
Felleaque infidâ pocla dedisse manu?
Ipse tibi virus; te præter causa nocendi
Nulla: venenato cor tibi felle natat,
Ah vtinam! dolor est sic sęvo occumbere letho,
Et turpem titulum mortis habere meæ.
Nec tamen ista moror: sic 7. Iudas prælia movit:
Et similis magnis area celsit avis.

Aspice,

7. *Iudas Macbabeus cum fratribus varia ab hostibus per dolum passus est.*

Aſpice, ſic 8 Ionathas occulto proditur hoſte,
Inque Tryphoniacas incidit ille manus.
Notus & 9. Abobides ſocerum fratreſq; necavit,
Sanguine conſtructas inficiente dapes.
En ego nunc, ne fortè parũ 10. Aſſamonia credar,
In patrias clades vltima gentis eo.
Quidquid erit, moriar: ſed vt altæ prodiga mẽtis
Pectora, quêis victor, quo fremat hoſtis, habet;
Inſequar auctorem (ſic me volet ire Tonantis
Vltio) ſanguineis vmbra timenda comis.
11. Percurres pavidos lymphata voce penates
Vt ſolet affuſo currere Baccha Deo,
Clamabis modò tolle faces, modò vulnera tolle
Sum reus; oppreſſę coniugis vltor adeſt.
Attamen incaſſum: nil proficientia fundes
Verba: ſtat immotâ vindicis ira manu.
12. Iamque minuta parant tibi fœdam examina mortem.
Debetur vitę terminus ille tuę.
Forſan & in tumulo, pereat ne fama ſepulti,
Aut hoc, aut ſimili carmine notus eris.
Hic iacet Herodes: *tumulum execrare Viator:*
Deſpue; fœtorem nil niſi terra tegit.
Neu lethi mirere genus: qui funere multos
Merſerat, à multis iure necandus erat.

8. Ionathas *per ſpeciem amicitiæ exceptus Ptolemaide à Tryphone interficitur,*
9. *Ptolemæus filius Abobi, Simonis gener, cum Iudææ regnum affectaret, ſocerum cum filiis convivio exceptos interemit.*
10. *Vtique ex Aſſamonæis & Machabæis oriunda.*
11. *Herodes à Mariamnæ coniugis morte in furorem actus eſt*
12. *Obiit enim fœtenti ac pediculari morbo, ſuis omnibus gravis iuxta atque exoſus.*

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

SÆviente in Christianos Maximiano, ferunt Cæsareæ Cappadociæ oppido Dorotheam *Virginem extitisse prosapia nobili: quæ, quid in homine supra ætatem & sexum virtus posset, egregiè ostendit. Nam cùm ab Apricio Præside Diis sacrificare iuberetur, eò usque constantiæ processit, uti nec delitiis, nec suppliciis tentata à fidè recesserit. Et verò inter cruciatus dixisse affirmant eapropter tormenta nihili se habere: quòd iis videlicet, aditus sibi in cœlestes hortos ac vireta patesceret, ubi pomis ac rosis delitiaretur. Cùm autem id temporis, utique Februario mense, aspero gelu solum rigeret, plures id ioculari risu excepêre: quos inter* Theophilus *iuvenis Caussidicus dixisse fertur: Transmitteret ad se, quas iactabat hortorum delitias ac fruges, si veras. Adpromisit* Dorothea *Quare iam capitis damnata, cùm ad supplicii locum raptaretur: Angelus* Ephebi *in habitu cultuq; recentes ei rosas ac poma obtulit Illum ergo* Dorothea *cum hac* Epistola *ad* Theophilum *mittit: adhortans ut ex munere reddito, fidem ipse quoque capesseret: quod & fecit. Adeoque constanter, ut & mortem pro ea (* Dorotheæ *exemplum secutus) eodemq; die, quo ipsa capite plexa est generosè ac fortiter obiuerit.* Surius Tom. 1, Martyrol, Rom, 6. Februarii,

Dorothea Theophilo.



SYMBOLVM

Theophilus ad oblatam rosam sine mora in *Dorotheæ* fidem concedit, ex Fuco mutatus quasi in Apem; quam scribit Plinius *lib.* 21. *cap.* 12. rosis maximè allici & delectari.

——————*Tantus vtrimque*
Vrget mellis amor.

Dorothea Theophilo.

QVę nova THEOPHILO transmittit charta salutem,
DOROTHEÆ casti pignus amoris habet.
Perlege quodcunque est; & aperto tange canistro
Elysias inter mitia poma rosas.
Neve reformides hybernę tempora brumę;
Neu dicas magicę, quod damus, artis opus.
Pone metum; tortis hîc nulla venefica rhombis,
Sęvaque 1. Thessalico carmine fallit anus.
Esto, aër gelidis Aquilonis inhorreat alis,
Duratamque alta sub nive claudat humum.
Hoc terrę vitium est: facies nitet altera cœlo:
Nec nive, nec duro lęditur illa gelu.
Illic purpurei circùm pascuntur Amores,
Vernaque pacatis otia rebus agunt;
Illic perpetuo vestitur gramine campus,
Nec riget excussà spina relicta rosa.
Credere si dubitas, quę mittimus inspice poma,
Quęque tibi Angelicâ dona feruntur ope,
Nam quid ego sileam; capitis damnata trahebar,
Inque meis oculis lictor & ensis erant:
Cum subitò cuneos inter, turbamq; frementem
Aliger aspectus constitit ante meos.
Candida vestis erat, picto circumdata lymbo;
Arte velut 2. phrygiâ sutilis ornat acus,
Aurea

1. Thessali gracia populi, incantationibus ac veneficijs olim famosi.
2. Phryges minoris Asiæ populi, pingendi acu olim peritissimi: unde & similium vestium artifices Phrygiones appellati.

Aurea ſubductam mordebat fibula pallam,
Qualis ad excurſus pingitur ales Amor.
Lactea frons illi, compti ſine lege capilli ;
Tranſierat pomi fuſus in ora rubor.
Et prior ille mihi dubitanti ſcribere, dixit,
Scribe : dabit victas in tua iura manus.
Novimus hunc ; plus eſt quàm 3. nomine notus amator,
Mollia pacatæ ſemina mentis alit.
Vtq; ſit hoc verũ (quantum reminiſcor) habebas
Iam tunc ora ſacro nomine digna tegi.
Da veniam, primæ ſi ſcribimus acta juventæ,
Forſan & hic aliquid, quod juvat, eſſe poteſt.
Vix mihi biſſenas meſſes numeraverat annus,
Cùm prima incipiens corda momordit Amor.
Nec malus ille fuit : cæleſti ſcilicet arcu
Quæ mihi diſtrinxit tela, ſalutis erant.
Ex hinc fœminei cæperunt tædia cultus :
Tædia ſingultu ſæpe notata meo.
Nil mihi cum ſpeculo, cultu formoſa videri,
Iſta inter multas vltima cura fuit.
Clauſa domo, lateriq; latus coniuncta parentis
4 Davidicam didici ſollicitare chelym.
O quoties medios rupi ſingultibus hymnos :
Verbaque per lacrymas hæc ſonuere meas !
Vrimur, ô Ieſu ! carpunt præcordia flammæ,
Inque tuos thalamos me ſacer ardor agit.
Quanndo

3. *Theophilus, id eſt amans Deum*
4. *S, Hier. Pſalmos Davidicos valde Virginibus commendabat.* Hinc *ad Lætam de inſtitut. filiæ.* turpia *inquit,* verba non intelligat, cantica mundi ignoret ; adhuc tenera lingua Pſalmis dulcibus imbuatur.

Quando erit vt niveis Hymen circũſtrepat alis,
Meque tibi caſto fœdere jungat Amor?
Audierat mater: felic ter vteri- inquit,
Filia; ſed monitis cautior eſto meis.
Tuta late; juveneſque procul vitare memento:
Et cave THEOPHILI nomine quiſquis erit.
Vt formæ illicium, ſpecioſaque nomina geſtet,
Adverſum Chriſto ſubdolus vrget iter.
Credis & hoc nobis? optavi ſupplice voto,
Vt tuus ex vero nominis eſſet honor.
Falleris, adieci; quem nobis rere timendum,
Adde moræ modicum, mater amandus erit.
5. Nomina iunguntur; quondã iũgemur & ipſi:
Sic meus hinc nobis omina captat Amor.
Ludor? an adverſis incumbis navita remis?
Inque necaturas præcipitaris aquas?
Quò ruis infelix? quò te malus abripit æſtus,
Siſte ratem: vento non volat illa ſuo.
Verboſas lites, clamoſa negotia tractas,
Cenſerique iſta primus in arte cupis.
Quid tibi cùm cauſis, cauſâ ſi deficis vnâ,
Quæ rigido ſurſum diſcutienda foro eſt?
Mitte malas lites: ſuntnè iſta negotia tanti,
Vt dum alios ſervas, ipſe perire velis!
Inſpice: ſanguinea pendentis ab arbore Chriſti
Quæ nova concipias iura, volumen habet.
Nec tibi turpe puta Chriſtum coluiſſe; cruento
Quantumvis trunco vile pependit onus.
Turpe Iovem coluiſſe fuit; cui turpiter vſto
Cùm Veneris placuit crimen, adulter erat.

6. Scilicet

5. *Theophilus, id eſt, amans Deum vt ſupra annotavi, Dorothea verò, id eſt donum Dei,*

6. Scilicet in ſtuprum ſimulato arſiſſe iuvenco
Dicitur, & 7 niveâ factus adulter ave
Vincimus? an monitis necdum tractabile pectus,
Duraque quod ſi icum robora vincat, habes?
Chriſte tuo tinctas rupiſti ſanguine cautes;
Vnum non poteris perdomuiſſe virum
THEIOPHILE ah quid age, quæ mittimus inſpice poma,
Ingrati maculâ pectoris illa rubent.
Cætera quid referam? jurantia ſcribere verba
Pœne animus malo quo caperere, fuit.
Sic quōdam inſcripto 8 Cydippe prodita pomo,
Venit in Idalias præda cupita plagas.
Hæc ego vel cultro liquido vel deſuper auro
Scripſiſſem fauſtas inter habenda notas.
DOROTHEA hoc juro: vanas Iovis execror aras
Quodq; colis nomen, hoc mihi Numen erit.
Iura licet contra moveas, laudata recedam,
Te conſervato ſi rea fraudis agar
Scilicet eſt aliquid meditatis fraudibus vti,
Si quem tu fallas, perdere nolle fuit.
Interea dùm ſcribo, fremit mugitibus aër,
Excuſſa eſt gremio litera pœne meo.
Quid facis, ô Borea? violentos comprime flatus;
Si neſcis, vna plus mihi parte noces.

Iuſta

6. 7 Poetæ fabulantur Iovem in taurum transformatam Europam phœnicum Regis filiam, & in cygnum Ledam Laconiæ Regis vxorem corrupiſſe.
8. Cydippe Virgo aſtu Acontij, ſe illi in vxorem paciſci viſa eſt perlecto carmine, quod pulcherrimo pomo Acontius inſcripſerat: hi autem duo verſus inſcripti traduntur.
Iuro tibi ſanè per myſtica ſacra dianæ,
Me tibi venturam comitem, ſponſamque futuram

Iusta peto; motam retinet moderantius auram:
Annuit & votis mitior ille meis.
Quin etiam obducto scribentem velat amictu
Aliger, & cœptum perfice, dixit opus.
Nil tibi sic venti quamvîs per nubila currant,
Officient, pluviâ nec gravis imber aquâ.
THEIOPHILE ah! quid agis? nullum sit in omine pondus:
Frangor, & articulo dextra tremente labat.
Nimirum quoties mihi nomen Apricius exit,
Terreor, & tacitus succutit ossa pavor.
Nempe tibi si fingis aprum, truculentior illo est:
Fulmineo quamvis dente timendus aper.
Hic gladios, hic tela rotat, tonat igneus ore:
Hic quo te possit perdere, fulmen habet,
At cur hæc paveas; cur lethi territus vmbra
Castra fugis; primo vix bene tacta pede?
Fœmina si potui ferrum superare tyranni;
Tu vir ad exiguas commoveare minas?
Pone metum, nostris mersus cervicibus ensis,
Idem acie positâ jam tibi mollis erit.
Forsitan & victrix adero cervice cruenta.
Occurramque oculis vmbra benigna tuis.
THEIOPHILE, ecquid adhuc dubitas succedere? dicam:
Purpureis halat semita tota rosis.
Quacumque ingredior rident cœlestia Tempe,
Lætaque perpetuo gramine floret humus.
Da mihi te socium; dextram committe sorori
Frater, & æterni fœderis adde fidem.
Hic vbi constiteris, non sunt mendacia; dices:
Ille locus fuerat sanguine dignus emi.

Scibere

Scribere plura cupit, quo nunc tibi scribimus, ardor:
Sed brevis, heu! fati præpedit hora mei.
Dextra tenet calamum, sed nudo lictor in ense
Imperat abrumpi quod modò tractat opus.
Imperat á collo sparsos deducere crines,
Ne sistant gladij percutientis iter.
Nuda humeros, genibusque minor, nova victima cœli;
Libratam exspecto mox feriendà manum.
Hæc est DOROTHEÆ tibi nunc scribentis imago
Cætera qui scribat ferreus ensis erit.
Atque vtinam mortis nostræ spectator adesses,
Inque tuis oculis exigeretur opus!
Vt pius es, placidâque foves sub pectore mentem
Spectares madidis funera nostra genis.
Et (puto) suspirans ipso mucronis in ictu,
Quæ cadit (adijceres) vivere digna fuit.
Vivere digna quidem, sed dignior ense recidi,
Sicque Deo fusos evoluisse suos.
Quod precor, hoc summum est, det vt oblita cæde papyrus,
Hæc tibi sanguineis verba legenda notis.
9. *Lacte olim, cœli modò limina sanguine rorant:*
Quò noster præijt calle sequendus Amor.
Dorothea *hàc ivit, sed & hac penetravit eadem*
Theiophilus: *dux hac funeris, ille comes.*

9. *Lacteus orbis, sive circulus, quem Græci* λαγαξίαν *vocant, à lactu candore, sive stellis albicantibus. De quo Ovid. 1. Metam.*
Est via sublimis cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

EPISTO-

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Habet amor læsus, maximè cum virtutis viâ ad Deum nititur, etiam in fœmina suos & gravissimos aculeos Documentum hac epistola traditur. Quippe Isdegerde Persarum Dynasta Idolorum cultum, quá blanditijs, quá minationibus ac tormentis vrgente: ferunt è nobilibus quempiam cui IACOBO nomen, eò vecordia processisse, vt fidem, quam Christo & conjugi iuraverat regiæ amicitiæ posthabuerit. Quod statim atque vxor ejus ampli animi fœmina intellexit: vi doloris, & facinoris atrocitate saucia, vna cum socru hanc Epistolam scribere aggressa est. Atque in hac primò levitatis ac perfidiæ maritum coarguit: divortiumq́; intentat, nisi facti pœnitentiâ ad saniorem mentem redeat. In eum finem rationes proponit, quas amor conjugalis præsertim læsus, suggerit. Neque profectò incassum. Siquidem hac Epistola ita IACOBI mentem perculit, vt sine mora rege adito, facinus retractauerit: etiam Martyrium pro fide passus. Nam sæviente tyranno, quod se illusum cerneret, membratim cadiur, vnde & INTERCISVS dictus est. Historia vxoris nomen subticet: sed quia ambo ex Elape civitate Persidis oriundi erant: hanc ELAPIM, illum vero ELAPIDEM in versu appellere placuit. Niceph. lib. 14. Hist. Surius Tom. 7. Martyrol. Rom. 27. Novembris.

Elapis

Elapis Iacobo.



6

SYMBOLVM.

Veteribus fax accenſa, conjugij, extinctá verò ſeu inverſa; repudij ſignum erat. Per hoc patet *Elpidis* animus in maritum; quem Deo ſibique pariter perfidum reijcit, ſed felici eventu.

Inverſa premit, converſa reſuſcitat ignem,

Elapis

Elapis Iacobo.

SCribimus ELAPIDÆ nuper dominoque viroque:
Nunc tibi quo ſcribam nomen vtrũque perit.
Ne dominum appellem, ſervum te regia fecit:
Amiſſumque virum, quem fleat, vxor habet.
Ah vtinam primùm cùm cœpi ſcire quis eſſes,
Admiſique tuas nupta futura preces,
Mors mihi pro thalamo funebria ligna dediſſet,
Pro cythara, mœſtâ carmina ducta tubâ!
Quæ fuit alba mihi naſcenti, debuit hora
Ah potius letho nigra fuiſſe meo.
Ecquid enim tecum ſenos mihi profuit annos
Vivere, ſi læſus crin.ine ceſſat amor,
Cùm tibi tradebar (memini nova nupta marito
Fulgeretque ſua lampade noſter Hymen,
Fulgeat, ô vtinam! dixi; quoque ardet ab igne
Non extinguendas nutriat iſte faces!
Tu quoque dicebas inter iurantia verba,
Cumque foret dextræ dextera iuncta meæ;
ELAPIS, hoc voveo, noſtrum dumvivet vterque
Ipſe tuus ſemper, tu mea ſemper eris.
Vivimus, ELAPIDE, nec ſum tua: nec meus eſſe
Ipſe reus ſceleris perfidiæque potes.
Mentior? an falſum ſpretâ quod Numinis arâ
Diceris 1. Arſacidis thura dediſſe Dijs.

Dicat

1. *Arſacidæ Perſæ olim dicti ab Arſace Rege.*

Dicar in hoc vtinam mendax, & crimine falso
Et nimium præceps insimulasse virum!
Sed non sum mẽdax;calami neq; crimina nostri,
Sed tua sunt lacrymis crimina flenda meis.
Venit 2. Achæmeniâ tibi qui comes iverat aulã
Murcius, & tactum vix benè limen erat:
ELAPIDES, dixi quid agit meus? ille pudore
Constitit. effusis ora rigatus aquis.
Indolui pavitans quamvis incerta quid esset:
Sed quod tunc dolui, quodque verebar, erat.
Namque vbi detersis oculorum fletibus ora
Soluit, probrosos rettulit ille sonos.
Rettulit vt plenâ populis libantibus aulã
Arsere invitis impia thura focis.
Alta nigrescebant nebuloso compita fumo:
Non thuris, fumus criminis ille fuit.
Singula dũ narrat, gemitusque in verba profũdit
Eliciunt gemitus singula verba meos:
Vrgemus tamen effari: lacrymosa quid vrges?
Subdidit: ô! forti nubere digna viro!
Protinus exilui; & subitò (sensisse putares)
Annulus à digitis excidit ipse meis.
Scilicet exosus fictæ periuria linguæ,
Proditor exemplo noluit esse tuo.
Heu! vbi pacta fides? exclamo: vbi præstita Christo
Vota, sub arsuros vota ferenda rogos?
Quo ruis, ELAPIDE? lacrymis tingentibus ora
Cætera me dicunt non potuisse loqui.
Quin etiam exanguẽ tenebrisq; repente subortis
Succiduo ad terram procubuisse genu.

accurrunt

9. Itemque Achamenij, ab Achamente primo eorum Rege.

Accurrunt famulæ, gelidaque aspergimur vndâ:
Semianimem socrus sustinet ipsa nurum.
Et mihi, vive nurus, nurus ô charissima, dixit:
Iam (puto) perfidiæ corrigit acta suæ.
Mortua (crede mihi) tamen istâ voce revixi,
Redditaque est oculis lux, velut antè, meis.
Quid tamen hoc prodest, oculis si lædor apertis,
Et vel sic telum, quo feriantur, habent?
Parvus IACOBIDES, formosus imagine patris
Hærebat gremio sarcina mœsta meo;
Inde per amplexus nostras effusus in vlnas,
Quæ tibi nunc, mater, funera flentur? ait.
An pater occubuit? licuisset dicere rectè,
Proque sacro occubuit Numine; quanta forẽ?
Ast aliâ in luctum causâ deducimur: illa,
Quâ vivis, mœsti funeris instar habet.
Interea cupido tua facta ediscere nato,
Reddidimus tristi talia verba sono.
Mollis IACOBIDE, pater est tibi: jussa parẽtis
Corrige; sic illi degener esse velis!
Quid fles? blande puer, meliori digne parente!
Sunt tibi præstantes, quos imiteris, aui.
Corpore parvus adhuc, sed sanguine crescis eodẽ
Errorem patris diluat iste cruor.
Audiit, & nivei posito velamine colli,
Chara parens non me vox tua terret, ait.
Ibimus, ô mater, iugulum præbebimus ensi,
Qui bene per patris pectus iturus erat.
Est mihi qui fosso currat de pectore sanguis,
Et bene non tinctam qui bene tingat humum.
Quid mihi tunc animi fuerit, cognoscere certè
Ni modò desieris tu pater esse, potes.

Brachia

Brachia miſcuimus, blandeque per oſcula nexi,
Confudi lacrymas illius, ille meas:
Quin age, chare puer, primis quoq; fortior annis
Quæ pater extimuit vulnera, diſce pati.
Atque vtinam mater iungat tibi! quoque maritus
Non cecidit ferro, nupta puerque cadant.
Plura quid hic referam? vellem cognoſcere poſſes
Quæ modò ſit noſtræ forma tenorque domus.
Flent famulæ, & mœſtâ feriunt ſibi pectora dextra:
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Hei mihi? quàm largus ſcribenti decidit imber,
Illo, quem ſpectas imbre, litura venit.
Quid facitis lacrymæ? crimen delete mariti:
Quid mea non juſsis charta madeſcit aquis?
Scribere ceſſabam: cum nobis proxima ſocrus
Accumulat ſociâ triſtia verba notâ.
Scribe, quid hic, ceſſas nurus ô lacrymabilis? inquit:
Scribe, ferat queſtus hæc quoque charta meos.
Nate, dolor matris, malefauſti præda timoris,
Quò tuus inventos tam citò fugit amor?
Heccine ſunt noſtræ ſolatia danda ſenectę,
Heccine ſunt curis pręmia danda meis?
Parvus eras (memini) cùm ficti fulmine belli
Martyrio nobis erudiendus eras.
O! quoties nudos tibi cùm monſtravimus enſes,
Ruſiſti armatas militis enſe manus.
Ipſa ego te vidi, quò fortia fata ſubires
Ante aram curvo vota tuliſſe genu,
Quâ bene cœpiſti cur nunc male cedis arenâ,
Cur tam diſsimiles hic vir, & ille puer?

Si

Si fuit errandum, si sic; nobisque futura
  Non fuerant culpâ fata priora tuâ.
Ah! meliùs tibi prima dies, tibi summa fuisset,
  Nate, fuit cunis aptior vrna tuis.
Scilicet innocuos artus, sine crimine membra,
  Et luctus fontem clauderet illa mei.
Sic queritur mater, iustoque armata dolore
  Sollicitat questus in tua facta meos,
Mobilis ELAPIDE, quò te tuus abstulit error,
  Verbaque promissis inferiora tuis?
Qui meus hinc ierat cur non meus inde rediſti,
  Nuptaque sum reducis, sicut euntis eram?
Tene feram pariterque reum, pariterque maritũ,
  Dicar vt infidi coniugis vxor ego,
Devorer ante precor subito telluris hiatu,
  Ante vel excussi fu minis igne cadam,
At meliùs dextrum mihi cor salit: altera sæpe
  Quod perdit, revehit postea sæpe dies.
Quod Petrus admisit crimen, quas Magdala noxas
  Ille suis lacrymis lavit, & illa suis.
Nec tu primus eris, qui viso expalluit ense
  Quem post visceribus condidit ipse suis.
Augur or, hoc facies; isto mihi littera voto
  Promicat in laudes ambitiosa tuas.
Neu tibi servato titulos, pretiosaque fingas
  Nomina,[3] TRVNCATO gloria maior erit
Sic nobis, geminæ crescent præconia famæ:
  ELAPIS ELAPIDAE Martyris vxor ero.
At cupiam potiùs vibrato occurrere ferro,
  In tua cùm sæuus pectora lictor aget.

Et

3. *Fit allusio ad* Intercisi *nomen, quod illi à martyrio, vti supra in argumento memoravi, inditum est.*

Et mihi (si nescis) bullit sub pectore sanguis,
Et propè iam bellis invidet ille tuis.
Ipsa ego quando tuo stillantia tela cruore
Videro : clamabo, non satis illa rubent.
Huc in nos veniant, & nuptæ tangere donent
Corpora TRVNCATI sanguinolenta viri,
Tunc erit vt dicant morientia coniugis ora,
Verus Hymen nobis vltimus iste dies.
Fallor ? an ambobus pulchro certamine functis
Augebit cæsus funera bina puer ?
Augeat, ah vtinam ! nobisque hæc funera portet
Candidus admisso Lucifer ortus equo.
Si tamen is patri vivat, matrique superstes,
Qui socio tumulo corpora condat, erit.
Ille memor causæ, pro qua defungimur ambo
Inscribet titulo nostra sepulcra brevi
Hoc iacet Elapides *tumulo* , *iacet* Elapis : *ambos*
Edidit vnus amor, condidit vnus amor.

EPISTOLA SEPTIMA

ARGVMENTVM.

EVSTACHIVS; (cui & PLACIDO nomẽ ante baptismum) vir extitit sub Traiano Imperatore, domi militiaq; clarus inpaucis. Verùm vt se habent res humanæ, cùm bonorum omnium iacturam fecisset, statuit cum THEOPISTA coniuge, parvuliq; liberis AGAPITO, & THEOPISTO, ex Italia in Ægyptum navigare, privatam illic vitam acturus. Sed ecce in via gravior, & acerbior illum casus invadit. Siquidem THEOPISTA primùm perfidiâ naucleri illi surripitur: tũ & duo eius filii in traiectu fluminis leoni, ac lupo in prædam cedunt: qui tamen à pastoribus erepti, deinceps intra eorum mapaliã adolevere. Similiter THEOPISTA lenoni impuro per cœlestis vindictæ prodigium surrepta est, quæ exinde pro famula apud heram rusticanam, quindecim ipsos annos sese locavit gessitque. Hæc igitur cùm de PLACIDO quidpiã inaudiisset, quem Cæsar conquiri in Ducem adversus Barbaros iubebat, hanc Epistolam ad eum exarat, in qua quidquid sibi à raptu acciderat, recenset; Tum & de filiis nonnulla attexit: quos primò à bestiis laceratos, ac postea ereptos obscurâ famâ intellexerat. Hortatur ergo vt exercitum moveat contra Barbaros: priùs tamen se in laborũ, Imò & Martyrii (quod vaticinio assequitur) sociam ascisci postulat. Nec verò fefellit eventus: Quippe procedente tẽpore Eustachius & Theopista, *itemq; filij qui sub patris vexillis merebant, cùm in mutuã notitiam venissent: primo vincula, tum & mortẽ pro fide, tauro æneo, candentiq; inclusi, fortiter oppetiere.* Bar. to. 2. Mart Ro. 20. Sep.

Theopiſta Euſtachio.



7

SYMBOLVM

Pes circini vnde digreſſus revertitur, & orbiculum fingit, quo veteres Ægyptij Deum ſignificabant. Sic EVSTACHIVS cum coniuge & liberis diſtracti primò, tum deinde rurſus in vnum coëunt; Deo vtique per igneum taurum ſacrandi. Bene illis.

Redit labor actus in Orbem.

Theopiſta Euſtachio.

MIſſa venit 1 Phariis, malè quas tentavimus, oris
Hæc tibi captivâ littera ſcripta manu.
Vix illâ THEOPISTA tibi noſcetur; amictu
Fortunæ antiquum diſsimulante decus.
Sed tua ſum, quamvis verſis ad triſtia fatis:
Et tua (quod ſuper eſt temporis) eſſe volo.
Perlege, nec grave ſit noſtros ediſcere caſus:
Scilicet hoc veri pondus amoris habet.
Nox erat in curſu, cùm te præeunte, iubebar
Cedere poſſeſſæ finibus Italiæ.
Iuſſà domo ceſsi, natis comitata duobus,
Qui mihi conjugij ſumma ſuperſtes erant.
Quos ego non gemitus, quæ non ſuſpiria fudi,
Reſpiciens patrios, dum licet vſque, lares!
Venimus ad portum, navem conſcendimus ægrè:
Linquebat, Latiam pes mihi tardus humum.
Quò ruimus? tacito mecum ſub pectore dixi:
Quid Libycum infauſtâ puppe paramus iter?
Nauta fuit (memini) ſed falſo nomine nauta:
Fleverunt nati; perfidus hoſtis erat.
Iamque ferebamur vento, qua parte Canopi
Niliacas ponto devehit vnda rates.
Neſcio quâ ſubitos cauſâ faciente timores,
Qui fuit in fluctu conſtitit ore color
Scilicet inſidiis petitur mea forma, ſimulque
Panditur in curas area longa tuas.
Exieram navi poſitis in littore natis;
Iamque manum nobis exhibiturus eras.

1. *Pharos parva Ægypti Inſula.*

Cùm ſubitò incumbens proiecto navita conto,
Longiùs à ripa provehit ille ratem.
Abſtrahor, EVSTACHIDE, clamo: ſed turbidus auffert
Nequidquam fuſas ventus & vnda preces.
Perfide, quid tentas? non ſum ſine vindice; fulmen
Quo ſuperi caſtam me tueantur, habent.
Surdior ille freto nequidquam adverſa movẽtem
Pertraxit laceris in ſua tecta comis.
Ne metue; ex digitis aurum quod fortè micabat
Abſtulit: vlterius nil habet ille mei.
Quin ſcelus hoc rapuiſſe fuit: ſubitoq; propinquã
Quàm pede tãgebat, corpore planxit humum.
Quid tamen hoc nobis fruſtra grateris? ab illo
Quod duxi vitæ tempore, pœna fuit.
Nimirum famulas inter, damnata labori
Brachia, barbaricæ penſa locamus heræ.
Ah! quoties madidâ dum torqueo ſtamina dextrâ
Inſolitæ fuſos comminuêre manus!
Ah! quoties ſaturis expreſsimus vbera vaccis!
Et ſumnum paſtas cepimus inter oves!
Viderat hoc aliquis, percullusque illice formâ,
Plus hic quàm famulam vultus obumbrat ait.
Nec mora, coniugii ſibi ſpem facit: aſt ego cõtra
Quid tentas? quam vis iũgere, iunxit hymen.
Euſtachidæ coniux dum proſpera fata manebant,
EVSTACHIDÆ coniux exulis exul ero.
Interea dum penſa gravant excudimus hymnos,
Et varia duras fallimus arte moras.
Eſt horti ad clivum vitro perlucidus amnis.
Quem cingit denſâ populus alba comâ.

Sæpe

Sæpe greges illic inter, ſubque arboris vmbra,
Laſſatæ mollem præbuit herba thorum.
Hîc ego cùm placidi ſtaré prope fluminis vndã,
Quam prope ſum vultu territa facta meo!
Et niger eſt, & habet quod nux malè saucia tin-
Cortice contactas inficiente manus. (git,
Si me nunc videas, viſam prius eſſe negabis;
Forſitan âut Mopſi fuſca putabor anus.
Adde, quod & miſeræ ne fors minus eſſe liceret,
Auxerunt curas pignora bina meas.
Scilicet hîc aliquis (redeunt ad lumina fletus)
Narrabat mœſti triſtia damna patris.
Venerat; heu! genitor ſub iniquo ſidere natus,
Et ſua qui longùm funera portet! ait
Venerat ad flumen, quod cùm tranſmittere tẽtat,
Atque efferre isto pignora bina vado:
Protinus inde lupũ ſed & hinc properaſſe leonẽ,
Rettulit, in mediis dum pater errat aquis.
Quid faciat? puer iſte lupi, puer ille leonis
Præda fit, & fruſtra clamat vterque patrem.
Non tenui lacrymas, caſuque exterrita, dixi:
Diripiunt avidæ viſcera noſtra feræ!
Falleris, adiunxit; morti ſublatus vterque eſt,
Et paſtorali creſcit vterque casâ.
Creſcat, & hinc olim bellis maioribus apti,
Ille meos luctus ſiſtat, & ille tuos.
Hactenus exitium: ſed nunc vaga fama ſuſurrat
Cæſareum caſtris te rediſſe ducem.
Imperat hoc a Cæſar, duce te perrumpere caſtra
Sperat & hoſtili vellere ſigna manu?

Arma

a *Cæſar, Traianus Imperator.*

Arma cape, EVSTACHIDE; ſed me priùs ante vocatâ
Non ego ſum bellis, ſurripienda tuis.
Ibimus, & nudos tecum curremus in enſes,
Dignaque magnanimo coniuge nupta ferar.
Quid tamen hæc moveo? maiores molior auſus,
Pulſanda eſt magnis area maior equis.
Neu me fortè putes ſolo de nomine vatem,
Accipe ſincerâ dicta relata fide,
Eſt locus vmbroſæ quâ ſe domus vltima valli
Permittit, Fagis, Ilicibuſque frequens,
Hâc ego cùm nuper paſtas de montibus agnas
Ad ſolitos adigo ſole cadente lares,
Subſtitimus pro more, crucis quà cortice Fagus
Exhibet inſcriptas relligioſa notas,
Nec mora nuda premés adductis pectora palmis,
Herboſamque genu ſupplicis inſtar humum;
Ergòne (ſucclamo) luctus & funera iungam?
Virque mihi dempto fine carendus erit?
Chriſte, per hoc vda quod creſcit in arbore ſignum,
Fac veniat votis mollior aura meis.
Nec precor, vt niveo glomerentur ſtamina fuſo,
Aureaque in longos fila trahenda dies,
Redde mihi EVSTACHIDEN, & ſi vis funera iunge:
Ille mihi melius funere iunctus erit.
Finieram: ſubitóque arbor mihi viſa precantem
Audiſſe, & mutâ dicta tuliſſe comâ,
Quin etiam tacitam ſenſi lugentis in aurem
Demitti blando talia verba ſono,
Mitte queri THEOPISTA, prope eſt quem voce requiris,
Perfer; erit pœnæ meta, modúsque tuæ.

EVTACHIDIS vivit: vivunt duo p'gnora, nati
Et modò ſub patriis legibus arma gerunt.
Arma gerunt? quando dabitur concurrere, & vnâ
Si fas non fuerit vivere, poſſe mori!
Præcipit hoc animus: 3. taurũ ſuccende, ſatelles:
Debetur noſtræ torridus ille neci.
Prima bovem inſiliam, pluſquam per cornua ſacrum,
Cuius terribilis ſpiritus ignis erit.
Inde ego clamabo: læti ſuccedite: taurus
Igneus hic quamvis, nil tamen igne nocet.
Atque aliquis poſt hac recolés hæc funera, dicet:
(Sic mihi, nec falsò vaticinatur amor)
Diſpereunt nati, genitrix, pater: attamen illis
Sic perijſſe ſemel, non perijſſe fuit.

3 *Supplicium quo interiere, taurus fuit aeneus igne ſuccenſus.*



EPISTO-

EPIST. VIII.

ARGUMENTUM.

VRsula *Dionoci Cornubiæ Regis apud Britannos filia, cùm instructa classe ad Armoricos, Galliæ populos, quà oceano Occidentali alluitur, navigaret; secumq; vndecim millia Virginum duceret, contractis ibidem nuptiis, populum plusquam virorum facturа; alio derepente, seu maris æstu, seu potiùs Dei providentiâ, navigationis cursum & consilia divertit. Quippe naves vi tempestatis ejectæ ad littus, quà Germanico mari Rhenus fluvius se infundit: cùm in Melgam Pictorum, & Caunum Hunnorum piratas ac duces incidissent: gravis subitò dimicatio coorta est; illis impurè & hostiliter, his verò fortiter pro pudicitiâ & fide certantibus. Quò factum, vti ad ferrum vsque (dum vtrimque pertinaciâ bellum geritur) imò & ad internecionem res processerit. Cùm autem has inter Virgines* Cordula *reliquis meticulosior sese pugnæ, & martyrio subduxisset, idq;* Vrsula *iam cœlo cùm Sodalibus recepta comperisset: hâc Epistola illam, ad constantiam hortatur. Quocirca adductis in medium palmis, quas reportarunt, hortatur vt quàm primum hostibus generosè se prodat: neque oblatam arreptamq, à Sodalibus victoriæ laurum, sibi aut eripi, aut in manibus infringi patiatur. Quod vtiq; die insequenti, vt optaverat* Vrsula, *evenisse scribit.* Baronius Tom. 4. Annal, Martyrol, Rom. 21. Octobris.

Vrſula Cordulæ.



8

SYMBOLVM.

Ovem viridi oſtenſo ramuſculo allici trahique ſolitam ſcribit *D. Auguſt. Tract. 26. in Ioan.* CORDULAM inſpice, & hæc virentibus ſociarum palmis attrahitur, vt impavida ſe morti offerat. Quam verè vtrimque!

Suaviter & fortiter.

Vrſula

Vrſula Cordulæ.

VRSVLA mittit ovans de tot modò millibus vni:
Cætera felici funere turba iacet.
Fallimur, ah! ſummâ cœli micat aurea turri;
Cui modò deſertæ ſcribimus, illa iacet.
Perlege quid dubitas? cœleſtes inſpice laurus,
Quodque auro ſcriptum nunc tibi venit opus.
Nempe niger caſtam calamo tingente papyrum,
Quo premitis, cœlo non fluit iſte liquor.
Omnia luminibus, vel puro ſcribimus auro,
Quæ tabo fuſus ſcripſerat ante cruor.
CODVLA quò raperis? iuvat hîc edicere caſus,
Caſtaque Virgineà prælia geſta manu,
Sòlverat à portu ventis elata ſecundis
Fœminea Armorico claſsis itura mari,
Iamque ferebatur remis, veliſque per æquor:
Perque fatigatas fortior ibat aquas.
Æole, conclamo: fugientes ſiſte carinas,
Quem cupiunt nautæ, non ego, ventus agit.
Ventus agit nautis aptus non aptus amanti
Candida ſervandæ ſigna pudicitiæ,
Vana peto, precibuſq; meis obmurmurat Auſter:
Et nimium placida proſperitate nocet.
Fors aderat Divæ effigies quâ puppe ferebar,
Vt facilis dubio duxque comeſque mari,
Sæpius hanc ſupplex, quò nos averteret æſtus,
Sum prece, & accenſis devenerata focis.

Odime

Odimus ah! thalamos: VIRGO, da funera, dixi:
 Funeribus iungi noster anhelat amor.
Irruat in classem boreas notuſque procellis
 Africus, & mediis cymba dehiſcat aquis.
Dulce erit effracta pelago ſubſidere puppe,
 Obruat impuras quò Cytheræa faces.
Audiit, & ſubito diſcuſſam turbine claſſem
 Littore ab Armorico ventus & vnda tulit.
Pro thalamo in gladios & funera mittimur omnes,
 Quâ prope Rhenanas 1. dividit æquor aquas.
Hunnorũ 2. hîc acies, 3. Pictorũq; emicat enſis,
 Et pluſquam pictos exhibet ille metus.
Bella movent; miſtis reſonat clamoribus æther:
 Prædaque carnivoris cædit ovile lupis.
Prima ego, quid fruſtra ſęvis, ô barbare dixi:
 In nos non blandus, ferreus eſſe potes.
Hęc vbi: vibratis denſantur funera telis;
 Et nova littoream victima plangit humum.
Pars ferrum media capulo tenus excipit vlnâ:
 Pars minor abſciſſo vertice cęſa cadit.
Eſt cui diſtricto patuerunt pectora telo:
 Eſt cui virgineum tranſiit haſta latus.
Erubuit Rhenus, tumiduſque à ſanguine noſtro
 Currere purpureis in mare cœpit aquis.
Forſitan hoc aliquis dum captat arundine piſces
 Vidit, & incœptum dextra reliquit opus.

Hoc

1. *Rhenus fluvius Coloniam Agrippinam alluens, indeque circa Batavorum fines in tria cornua diviſus, totidem oſtijs in Germanicum oceanum influit.*
2. *Hunni & Picti piratæ, qui Virgines in fide & pudicitia ſtabiles contrucidarunt: ad hos fit alluſio in verſu.*

Hoc agitur terris: agitur res altera cœlo:
Illic quæ meruit præmia quaque refert.
Palladia 3 accepto micat illic pulchior ostro.
Hic 4 Saulæ graditur iuncta 5 Britulla comes.
Vidimus & lauros, sacro quas marte relatas,
6. Verenæ divus suppeditabat Amor.
Quid reliquas memorem nivei quas codice libri
Spectavi rutilis emicuisse notis?
Dùm tamen evolvo, spatium sine nomine vidi,
Nimirum summæ funeris vna deces.
Fert malè castus Amor jacturam mortis in vna,
Et queritur factum sanguinis esse parum.
CORDVLA, quid dubitas? metus hic sævior hoste est:
Heu! vbi, quam dederas in mea jura, fides.
Flêsti discedens: flentemque animasse recordor
Cùm mihi cœpisti sic prior ore loqui.
VRSVLA, quò rapimur? thalami quid quærimus ignem,
Ignis hic æquoreâ plus mihi friget aquâ.
Quàm modò pro thalamo vellē succederet ensis
Virgineas caperent casta sepulchra comas.
Hoc dixisse fuit: primo tamen agmine cedis:
Solaque detrectas fortia bella pati.
Imâ puppe lates, quò te timor egit inertem:
Nunc, & cupidæ nomen amantis habe.

Credor

3. 4. 5. *Nomina quarundam Virginum, quæ cum Vrsula Martyrium subiere,*

6. *Verena cum Essario iuvente consanguineo navigaverat: quem & ipsa in cæde pavidum verbo exemploq; animavit, impulitq; ad mortem fortiter obeundam* lib. 4. Revel. S. Elisabethæ Virg. cap. 2.

Credor in hoc etiam, dum nos trux immolat hostis
Huc illuc media nave cucurrit Amor.
CORDVLA, quid latitas? cur sic bellum effugis? inquit.
IamSociæ palmam, quam modò perdis, habét.
Sævierant hostes defunctaque corpora bello
Tingebat fusus semisepulta cruor.
Candidus emicuit rubeis exercitus alis,
Et tenues vitæ; cætera nubis erant.
Ducimur extemplò magni sub tecta Tonantis,
Et VIRGO castas excipit ipla nurus.
Ardua luminibus clarescunt atria; & auro
Cuilibet accinctæ lampades igne micant.
Vulgus Hymen Hyemenæe canit; pars nablia pulsat
Pars liquidum accenso thure vaporat iter.
Quæque priùs rigido tractârant prælia ferro,
Exornat fortes aurea palma manus.
Nec deerunt terris sua gaudia: nempe supersunt
Mittenda in varias ossa verenda plagas.
Credis &hoc?maduit nostro quæ sanguine tellus
7. Alterius nunquam funeris hospes erit.
Ergo age rumpe moras, vanumque expelle timorem,
Ad sua te revocat prælia castus Amor.
Quin & venturi felix certaminis augur,
Dimidiâ pinxit nomina scripta uotâ,

COR-

7, Terra, quam SS. Virgines barbarorum ferro occumbentes, sanguinis imbre irrigavere, nullum cadaver recipit, & si quod humatum fuerit, statim revomit.

COR pinxit: reliqui sic nominis ordo equatur:
Fulgeat aurato ORDVLA tota libro.
Sic erit: impatiens Amor aureus emicat astris,
Quâ tinxit liquidas barbarus hostis aquas.
Quid quod & ille tibi chartam, laurumque virentem
Deferet; vt palmæ nuntia certa tuæ.
Nec mora consistens tepefactæ sanguine ripæ
Concinet Elysiâ fortia facta turbâ.
CORDVLA Virginea plusquam millesima turba
Pars decies, domito læta pavore redit.
Plaudite sic reduci, geminavit Cordula festum,
Paverat illa minùs, fecerat illa minùs.

FINIS libri primi.



R. P,

R. P.

JOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSULANI E SOCIETATE IESV

SACRARUM HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER SECVNDVS

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

A*Glaë Romanas inter nurus formæ elegantiâ ac divitijs præpollens, cùm primam juventam* BONIFACII(*quem vt œconomum domi alebat*) *amoribus atque illecebris implicuisset: vitâ in melius mutatâ, conquirendis diligentissimè Martyrum reliquijs operam suam & opes locare cœpit. Igitur* BONIFACIUM, *traditâ illi ingenti vi pecuniæ in Ciliciā misit: regio hæc est minoris Asiæ, vbi Simplicianus Præfectus quotidianâ in Christianos feroçiâ*

rocitàſæviebat. Verùm cùm diutius illic, quàm abiens promiſerat, hæreret: hanc ad eum Epiſtolam ſcribit, in qua conqueritur de nimia tarditate. Cùm autem inter ſcribendum edocta fuiſſet ab Angelo, BONIFACIUM *fidei Chriſtianæ accuſatum attineri in carcere, eundem ad conſtantiam & martyrium hortatur. Inter alia verò illud maximè rogat, vti corpus ſuum Romam deferri curet per ſuos: quod ipſum quoque comitibus ac famulis, qui cum eo diſceſſerant, ſedulò commendat. Nec ſpes ea, & votum fruſtra fuit. Quippe Aglaë &* BONIFACII *corpus recepit, & eidem templum ac ſepulchrum, prout ante voverat magnificentiſſimum condidit: delectâ ſibi ad ejusdem Martyris corpus ſepulturâ.* Surius Tom. 3. Martyrologium Rom. 14. Maij.

Aglaë

Aglaë Bonifacio.



9

SYMBOLUM.

Excisam trunco arborem abs radice novo virgulto pullulare vides? Et vides Martyrem in funere validum, ipsâ *vide*licet injuriâ lucro & gloriæ cedente. Quocirca rectè illi attribuas, quod arbori Lyricus Vates lib. 4. Ode 4.

Ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Aglaë

Aglaë Bonifacio.

GRatulor incolumi Cilicas adijsse carina,
Plus a quo reditum sustinuisse queror.
Scilicet hunc primo signarat Cynthia cornu,
Et prope jam plenis tota refulsit equis.
Quidquid id est, paterer; si pro quo mitteris isthuc,
Quis mea nescires pectora torquet amor.
Ah! nimium mora lõga mihi, quæ gaudia differt,
Et figenda sacris oscula Martyribus!
Accedit dubius nostris mœroribus angor,
Quæ possit tantæ causa subesse moræ.
Quid statuam ignoro: vetuit fortasse quod opto
Miles? an istius nil ibi mercis erat?
Non semper leporem capias; venatibus apta
Quamquã adigas celeres per iuga sũma canes.
Sæpeque nec piscem; quamvis humentia lina,
Et tibi piscosis pendeat hamus aquis.
Fallimur, ô! 1. Tarso quãprimùm es redditus vrbi,
Ille locus tabo sanguinolentus erat,
Interdum timeo, quamvis exosus vtrique,
Ne te fœminea compede nectat amor.
Ah! peream potiùs, quàm me hæc iniuria lædat,
Dicar & infido fœmina lusa viro!
Quid? damnata priùs rursum te prælia vincant?
Et quod iuràsti ventus, & aura feret?
Túne peregrinæ dum fors blandiris amicæ,
Dissipet illa meas, quæ malè dantur, opes!

Dona

1. *Tarsus vrbs Ciliciæ caput, vbi Bonifacius à Simpliciano præfecto primùm captus, tum deinde martyrio affectus. ſt*

Dona ego transmittam, donis peregrina fruetur
Vilior & turpi pellice Martyr erit?
Quid facis? heu! castæ frustra sperate sorori
Cor dolet, atque irâ mistus abundat amor.
Quid tamen hæc moveo, melioribus vteris armis
Et spolium de te nulla a. Cilissa tulit.
Vtque sit hoc verum clausâ servatur in arcâ
Promissi testis scripta tabella tui.
Hactenus insanisse sat est (hoc pagina signat)
Turpiaq; Idalio colla dedisse iugo.
Hoc, Aglaë, *voveo, nullus, qui pectora nobis*
Quam Christi posthac ignis adurat, erit.
Hæc ego dum relego, & scriptæ do basia chartæ,
Sæpe sono tenui, dico, tabella, places.
Neu dubitem, subitò præterquã murmure famæ
Constitit Angelico teste relata fides.
Vt vidi, vt sensi pavidum subsidere pectus,
Mobile sic placidis sternitur æquor aquis.
Vicimus, exclamo: quem coram cernimus, Ales
(Nec fallor) palmas præcinit ille tuas.
Hic rare te Cilicas tetigisse fideliter oras,
Et Tarso exceptum nuntius ales ait.
Ardua prostabant furvis tabulata theatris,
Mœstaque sanguineo pegmata structa foro.
Circùm enses, cultrique, ferus circùm vndique lictor,
Et nova sub gladio victima Martyr erat.
Ausus es amplecti, pulchroque fluentia tabo
Pectora, complexu pressa fovere tuo.
Quin etiam tepidum labris suxisse cruorem
Diceris, & sacris erubuisse notis.

O!

a. *Cilissa, mulier è Cilicia orta.*

O ! mihi qualis eras hoc tinctus murice : talis
Fac redeas, Aglaë congruit iste color,
Aliger hic contra : faciet Bonifacius, inquit:
Et novus effuso sanguine Martyr erit.
Martyr eris ? vellem tecum licuisset adire;
Sic bene casuro victima iuncta forem.
Quàm melius fosso flueret de pectore sanguis,
Quàm lacryma in culpas rursus itura meas!
Et mihi sunt vires, stricto concurrere ferro :
Plus me quàm quisquam crederet, vrget amor.
Nil moror aut dentes ferrati pectinis, aut quas
Lictor suffossis vnguibus vrget acus.
Nec pice, nec rutilo succensos igne lebetes
Cor pavet, aut quidquid Præsidis ira coquit.
Interea quoniam te solum hæc prælia poscunt,
Incipe, sed forti bella movere manu.
Perfer & obdura : metuendæ cuspidis hastas,
Mollia ceu plumæ verbera portat Amor.
Quin facito vt dicas, quoties mucrone Satelles
Sæviet : hoc Aglaë iussit obire modo.
At potiùs CHRISTVS iussit, fusoque cruore
Suscitat ignavas ad sua bella manus.
Quod si fortè tibi reddatur Epistola, quando
Lictores inter sanguinolentus eris.
Hanc cupiam tepido perfundi sanguine : pactam
Adstruet hæc melius rubra litura fidem.
Ipsa ego cùm manibus labrisq; adpressero, dicá:
Pro Christo fusus quàm bene sanguis olet,
Interea famuli comites quos misimus vna,
Este, precor, vestræ turba fidelis heræ,
Compositũ corpus Bonifaci insternite puppi,
Quam Phrygia illusus vestiat arte tapes.

Addite

Addite purpureis carchesia candida velis,
Perque ratem liquidus munere sudet Arabs.
Vt venti aspirent, remis quoque pellite navim,
Et facite vt modicâ denatet illa morâ.
Ipsa ego procurrés quà te 3. Tybris ostia pádunt
Spectabo placitæ signa, notamque ratis.
Et quecunque procul venientia videro vela,
Vela tamen rubeâ conspicienda notâ:
Clamabo meus est navi BONIFACIVS ista:
Iam vehitur Martyr, qui prius emptor erat.
Nec mora, votivis ardebunt cinnama flammis;
Ibit & in longas excita Roma vias.
Cùm propè constitero, sacros affusa per artus
Adjiciam modicâ talia verba prece:
Da veniam, frater; cœloque recepte sororem
Respice, & æterna fœdera iunge fide.
Iactabas abiens te Martyra; risimus illud:
Corrigit at risus exitus ipse meos.
Nec deero votis; sublimibus alta columnis
Templa, tibi Patria construet arte labor.
Ardebunt illic precinctæ lampades auro.
Inque laboratis thura cremata focis.
Tunc tibi subjiciam: BONIFACI has incole sedes;
Sed mea fac tecū molliter ossa cubent.
Quin etiam inscripto lucentia marmora versu
Vltima defuncti Martyris acta ferent.
Siste, Viator, iter: iacet hac BONIFACIVS urna
Occubuit Martyr qui priùs emptor erat.
Hic AGLAE vicina: fuit peccasse quod olim;
Corrigit hoc tumulo frater, & illa soror,

EPIST

3. *Tybris seu Tyberis celeberrimus Italiæ fluvius, qui v bem Romam præterfluens, exinde duobus ostijs, modico sp tio diremptis, in mare mediterraneum evolvitur.*

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

IOANNES *cui cognomentum* CHRYSOSTOMO *ob auream in dicendo facundiam inditum fuit, cùm sanctioris vitæ desiderio teneretur, desertâ Antiochiâ, & forensibus negotijs, vbi viduarum causas agitabat, matrem viduam ac sororem juvenculam relinquere statuit. Quod cum fecisset, imò & in abditiora quædam loca penetrasset, asperioris vitæ gratiâ ejus soror, quam hic ex matris nomine* Anthusam *sive* Anthusen *vocamus hanc ad illum Epistolam scribit. In qua primùm matris orbitatem & lacrymas suas exponit, tum deinde in nimias eius corporis afflictationes invehitur: rogans vt sibi temperet seque cogitet non solitudini sed publico natum esse, vnde & sibi* CHRYSOSTOMI *cognomentum asciscere aliquando debeat. Quamobrem hortatur vt relicta solitudine quàm primùm Antiochiam, ad rerum magnarum capiendas occasiones revertatur.* Metaphr. Niceph. lib. 3. c. 1. Martyr. Rom. 14. Septembris & 27. Ianuarij: quo die translationis eiusdem festum præcipuo cultu observatur.

Anthusa

Anthuſa Chryſoſtomo.



10.

SYMBOLVM.

Vt leonem Chryſoſtomus cruce in terram depacta domat: ita & ipſum morbus pertinacior. Nam & eo ſeceſſum publîco mutare cogitur, exinde *Chriſoſtomi* nomen concionando habiturus. Adeó hic quoque verum, quod ſcitè quidam dixit: *plumbeam eſſe ſanitatem, morbum aureum.* Sive quod Poëta cecinit.

Dant vulnera vitam.

An

Anthuſa Chryſoſtomo.

QVos queſtus, germane, dolens fert pagina, mittit
Hos tibi cum chara matre relicta ſoror.
Teſqua petis certè viduis inviſa, diſerto
Ante quibus ſtudio mite levamen eras.
Profuerint doctę quidnam modò ſcimus Athenę:
Vt fugerent ſolos erudière pedes.
Quâ prodeſſe parens voluit, malè proditur arte,
Et patitur telis vulnera facta ſuis.
Quò fugis, ah frater? cur ſic modò deſeris vrbem?
Et cava ſylvoſis rupibus antra petis?
Si lacrymas quæris, latebra malè quæris in iſta:
Exhibet has animi nuntia charta mei.
Collige, ſic meliùs qui nobis depluit imber,
Inque tuos vultus, & tua ſaxa cadat
Interea quæ prima ſequar vix anxia novi:
Multa dolenda ſoror, plurima mater habet.
Illa mihi nuper lecto ſubnixa iugali
(Forſitan at vobis excidit iſte locus.)
Singultus ducens, oculis quoque triſtior vdis
Materno tales edidit ore ſonos.
Durior, ANTHVSE, frater tibi: durior idem
(Fasſit vera queri) filius iſte mihi eſt.
Nempe SECVNDIADEM mentitur nomine: nobis
Dùm vixit coniux, ille SECVNDVS erat.

 Ille

Secundiades Chryſoſtomus hic dicitur, à *Secundo Patre* ad *cuius nomen ſit alluſio*.

Ille SECVNDVS erat, quo fortunata marito
Perſtabat patriæ ſorſque decuſque domus.
Lædimur, ANTHVSE potuit ſuccurrere frater:
Sed mihi quam dederat prodidit ille fidem.
Confiteor, volui retinere, at abire volentem
Nec potui lacrymis detinuiſſe meis.
Addidimus precibus thalamum quoque: nempe ſedebam
Quo me nunc thalamo nata, ſedere vides.
Indeque ſuſpirans, multoque interlita fletu,
Admovi validas in mea iura preces.
Ibis? & ô cui me miſeram, cui nate, relinques!
Deſertæ poſt hac quis mihi fautor erit?
Parvus eras, & parva ſoror: cùm vtrique parentem
Intempeſtivo funere Parca tulit.
Quas ego tunc lacrymas, quæ non ſuſpiria fudi!
Quàm patuit curis area lata meis!
Conſtitimus tamen: & curarum pondera, pro t[...]
Maternus viduam ferre coëgit amor.
Sæpe mihi quando thalami ſimulacra redibant:
Tolle tuas, dixi, pronuba turba faces.
Qui mihi natus adeſt, vultuque animoque parentem
Suſtinet: ille mihi coniugis inſtar erit
Fallimur heu nimium! coniux priùs orba marit[o]
Nunc etiam nato deſeror orba parens.
Flecte feros animos: puerum quo fovimus vbe[re]
Non te tam duri pectoris eſſe ſinit.
Da breve maternis ſpatium ploratibus; illos
Mox vbi deſiero fundere, funus ero.
Corpore ab exangui fugiunt vireſque, colorq[ue]
Vitaque plus iuſtâ dimidiata colo eſt.

S[i]

Surdior ille tamen, ſaxo quoque durior omni
Reſtitit; & potuit dicere triſte vale
Dixerat hæc: gemitus ſucceſsit; flevimus ambæ;
Si me amas, lacrymas finge videre meas.
Si me amas (nec enim ſolitâ meus ire moratur
Lege dolor) lacrymis dum capiare meis.
Quid quod & hæ nobis plus vno flumine curſut;
Has profugus frater, has mea damna movent.
Nam quid ego referam creſcentia prima iuventæ
Tempora præceptis inſtituenda tuis.
Quid Paphias artes memorem queis ſæpe doloſo
Proruit in ſalebras tractus ab hoſte pudor?
Nos ſumus imbelles doctas neq; frater, Athenas
Vidimus aut Pauli grande tenemus opus.
Tu mihi dicebas: (memini) ſoror optima cautũ,
(Livet iter glacie) ferre memento pedem.
Quàm ſapies! pietas ſi caſta inſtuxerit annos,
In tua virgineas ferre ſepulcra comas!
Confiteor verba hæc animum movêre ſororis:
Caſtaque iam nobis tela vibrabat amor
Quid tamen hoc prodeſt ſi te privata magiſtro,
Quid faciam ignorem, quodúe ſequamur opus,
Intereà dum lentus abes, ſervatur imago
Tradita fraternæ pignus amicitiæ
Lilia ſtant circùm pictis fulgentia limbis:
In medio magnæ Virginis ora nitent.
Hanc ſpecto, teneoque manu preſsiſque labellis
Solvimus in tales ſæpiùs ora ſonos.
Diva, precor (quàm ſæpe!) tuis qui militat aris,
Frater: fac voto militet ille meo.
Quid procul excurrit? redeat: monſtrabimus ho-
Clarior vnde ſuo marte triumphus eat. (ſtẽ

Hîc matris dolor eſt, timor hîc meus: hoſtis vterque:
Sed reditu fratris victus vterque cadet.
Sunt, quos ille domet tota feliciùs vrbe;
Plus & 2. Orontæâ quos bene tingat aquâ.
Hunc repetit damnoſus ager, quà 3 Caſsia circũ
Stant iuga, barbarico Numine ſueta coli.
At forſan, dum ſcribo; magiſq; magiſq; recedis,
Antraque dumetis horridiora tenes.
Eſt rupes prærupta, cui ſpecus accubat: iſthæc
Diceris invisi ſaxa ſubiſſe laris,
Hei mihi! quàm vereor ne ſic novus incola Saxi,
Tam lapis evadas, quàm lapis ipſa caſa eſt.
Saxa ſuper recubas: pluvio caput imbre madeſcis:
Carpis & æſtivum vertice nudus iter.
Adde quod herbarum ſummas depaſcere frondes
Diceris, & gelidæ nil niſi potor aquæ.
Iam 4. ſtomachi vis fracta labat, renuitque medelam:
Heu! ne commiſsi pœna ſit illa tui!
Genua labant, macies exſuccos contrahit artus:
Si videam, qui ſis forſan, & vnde, rogem.
Interdum timeo, mediis vagus incola ſylvis,
Ne fias rabidæ forſitan eſca feræ.
Quid tamẽ hæc moveo? quid ſævos vngue leone
Fulmineoúe truces dente veremur apros?

T

2. Orontes fluvius Antiochiam alluens,
3, Caſsius mons Idolorum cultu & ſuperſtitionibus famoſus, quem Chryſoſtomus concionibus ſuis expurgavit.
4. Stomachi doloribus, quos inediâ & frigidæ potu cõtraxerat, per totam vitam afflictatus eſt.

Te viſo fugiunt, forſan ſquallore figuræ:
Fortè(putem)quod & his plus feritate noces.
Parce tamen dolor iſta movet,germane: paternus
Non ſinit eſſe tibi tàm fera corda vigor.
Exierat 5 ſylvis nuper leo dente cruentus
Vicinam latè depopulatus humum.
Incultus ſquallebat ager; circumque iacebant
Oſſa cruentato ſemi ſepulta ſolo,
Auſus es ire tamen, metuendaque bella ciêre
Stipite, tranſuerſa cui trabe robur erat.
Crux fuit vna tibi, ferroque potentior enſis :
Hanc panxiſſe, feram perdomuiſſe fuit.
Et fera præſenſit rugitu faſſa dolorem,
Strataque ſignatam corpore planxit humum.
At cruce depactâ ſęvum ſtraviſſe leonem
Quid iuvat, in mores ſi redit ille tuos?
Qui tecum malè ſævit amor leo dicitur : ille
Maternas fibras diripit, ille meas.
Plura quid attexam? calamum laſſata premendo
Eſt manus, & vires ſubtrahit ipſe timor.
Matrem, nate,iuva : frater ſuccurre ſorori :
Inſtant officio nomina bina tuo
Non agitur de me tantùm, maioribus angor :
Sollicitat reditus publica cura tuos.
AVREA 6 quid tituli,laudũque inſignia calcas,
Et pergis longâ ſaxeus eſſe morâ?

 Morbe

5. *Ferocientem leonem ſola cruce in terram depacta domat, & interimit.*

6. *Fit alluſio ad nomen Chryſoſtomi.*

Morbe 7. veni, profugumque reduc ad publica fratrem.

Te sine iam proprii funeris auctor erit.

Cantabo reduci: *morbi est hac palma; carendus*

Perpetuò frater, ni doluisset, erat.

7. *Ioannes ob morbum Monasteriū reperiit, indeq; Antiochiam, vbi Presbyter concionibus habendis vacare cœpit, tantâ in dicendo eloquentiâ, vt iure Chrysostomi cognomentum sibi accersierit.*



EPISTO-

EPISTOLA TERTIA.

ARGVMENTVM

Euphemianus & Aglae, par nobile coniugum, & patricia apud Romanos nobilitatis, cùm tandem ex matrimonio, post crebra ad Deum vota prolem tulissent: cui & Alexio *nomen indidere: eundem iam adultum ad nuptias vrserunt. Verùm* Alexius *cùm castitatis amore, simul eiusdem voto teneretur: neq; interea parentum imperio refragari auderet,* Polydoram, *virginem, cui forma ac morum elegantia supra natalium splendorem decus addebat, in coniugem admisit: sed habet miras & innoxias fallendi artes divinus Amor, cui omnia ex commento licent. Quippe prima nuptiarum nocte,* Alexius Polydoram *pio dolo circumventam clam deseruit, satius opinans ab igne longiùs recedere, quàm apud eundem sedendo quotidie periclitari. Igitur Româ egressus, Edessam primò Syria oppidū profectus est, vbi annos plures delituit. Cùm autem ex ea vrbe Tarsum Cilicia navigaret, adverso vēto in Italium indeq; Romam delatus est: vbi obtento intra paternarum ædiū septa tuguriolo stipe victitans, ad obitum vsque incognitus, miro sanctitatis & constātia exemplo perseveravit. Interea verò temporis* Polydora *cùm se ab eo derelictā lugeret, & frustra missis ad diversa loca nuntiis, requireret: hanc Epistolam adiicit, ei per famulū reddendam, vbicunq; locorum inveniretur, Porrò in hac Epistola primùm de eius fuga conqueritur: tum luctum & angorem, quem de eius salute caperet exponit, deniq; varijs persuasionibus, id efficere studet, vt quāprimùm Romā, vnde diffugerat, revertatur.* Surius Tom, 4. Metaph Martyrol, Rom, 17, Iulij.

Poly-

Polydora Alexio.



SYMBOLVM.

Captivus hîc Amor trahitur, quem frustra naturæ affectio, ceu canis quidam importunior lacessit, allatratque. Quippe hunc *Alexius* ad paternos lares reducit, sed ibidem veluti carcere afflicturus. Vsque eò vt de vtroúis verè dici possit.

Hospes, & exul,

Polydora.

Polydora Alexio.

QVam malè nupta tibi mitto POLYDORA salutem,
Sola mihi tribui te redeunte poteſt.
Luctus adeſt, & falſus amor pro coniuge vero:
Materies elegis ſola relicta meis.
Hei, mihi! cur vnquam ſocialia iunximus ambo
Fœdera, promiſſa non coitura fide?
Cur ego non dixi, cùm ſponſum mater Alexim
Obtulit: ille mihi (nolo) dolendus erit.
Vtilis ah! nobis, & vates vera fuiſſem:
Nec biberet lacrymas noxque dieſque meas.
Sed queror incaſsùm: miror magis omnia furto
Servîſſe, inque tuos officioſa dolos.
Nox erat apta fugæ (memini) nam luna latebat,
Mœrorem vultus falſa tegendo ſuos.
Stillabant pluvio pendentia nubila cœlo:
Dixiſſes noſtris illacrymare malis.
Ipſa ego, quis credat? fueram tunc iuſſa precari,
Pro facinus: precibus prodar vt ipſa meis?
Prodor: namque preces inter mihi lumina ſomnus,
Corripit: hic nobis inſidiator erat.
Nec mora, ſecedens ſopitam linquis amantem,
Suſpenſoque fugis patria tecta pede.
Quæ tibi tunc patuit fugienti ianua, quantos
Heu! nobis lúctus ianua ſæva tulit.
Debuerant rauco collidi cardine poſtes,
Debuerat clauſa porta manere ſerâ.
Debuerant latraſſe canes, famuloſque ciere:
Nempe reus furti ſic fugitivus, eras.

Pro dolor ! in noſtram iurarunt omnia cladem,
Prodita ſum multis vna puella modis.
Excitor interea; noſtrumq; vocamus ALEXIM:
Nullus erat; reſonant atria ; nullus erat.
Protinus adductâ ſonuerunt pectora palmâ :
Ora nec à lacrymis ſicca fuere meis.
Quin & ſopitæ turbare ſilentia Romæ,
Perque vrbis vicos impetus ire fuit.
Sed flentem ſocrus, flens acriùs ipſa repreſsit :
Sævijt occlusâ tota procella domo.
Dum ſic congemimus, famuli penetralia luſtrant,
Quiſque domus latebras,antraque cœca tegit.
Neúe putes latiis id agi tantummodò terris:
Longinquo certè quæreris orbe procul.
Miſimus 7. Æoliam, Tyrrhenaq; littora circùm:
Finitimis nulla eſt ſama remiſſa locis.
Miſimus & Solymen, Solyme quoq; neſcia veri:
Quas habitas terras , quo vagus orbe fugis ?
Quis ſcit an 2. Edeſſe ? ſervum quoque miſimus iſthuc:
Quamque tibi reddat tradita charta fuit.
O ! ſi quando tuæ reddatur Epiſtola dextræ,
Perlege : fert animi nuntia verba mei,
Quò fugis infelix ? cur ſic me linquis, ALEXI?
Ne tua permaneam quod mihi crimen obeſt?
Si tibi ſimplicitas viſa eſt mea (vera fatebor :)
Simplicitas iuſto digna favore fuit.
Si tibi virginitas placuit libata Tonanti :
Virgineo potui, vivere nupta thoro.

Cæciliæ

7. *Æoliæ Inſulæ, ſive Vulcaniæ in mari Thyrrheno ad Siciliam.*
2. *Edeſſa Syriæ oppidum, vbi aliquamdiu latuit.*

Cæciliæ caſtos non ignoramus amores,
Quaque tibi nupſit, Valleriane, face.
Quò fugis infelix? me mille pericula terrent,
Et vagus in curas pectora verſat amor.
Eſt tabula appictum quæ nobis exhibet orbem,
Illo ſæpè tuas quærimus orbe vias.
Prima ſtatim ſubeunt oculos Tybris oſtia: puppi
Vnde reor ſine me tradita vela tuæ.
Proſpicio, tanquam fugientia vela viderem:
Et retinet vultus iſta tabella meos,
Sæpius exclamo: nimis, ô! velociter exit:
Cymbaque Tyrrheno labitur illa mari.
Crudeles venti, malè tenſis parcite velis:
Vna deeſt numero, quam vehat iſta ratis.
Quò properas fluctus inter periturus, ALEXI?
Cur ſic inſanæ te malè credis aquæ?
Conſule 3. Tarſenſi qui navigat æquore Ionam,
Ille tibi dicet, quò periturus abis,
Nempe fidem violaſſè nocet, pontumque ſubire:
Perfidiæ pœnas exigit iſte locus.
Quæ vehit & crimen, quamvis patientior vndæ,
Sæpe bibit falſas naufraga puppis aquas.
Flecte ratem dùm tempus habes, Romamque reviſe:
Hîc reducem quæ te ſoſpitet, vxor erit.
Tàlia nequidquam pictæ fero verba tabellæ,
Et madet à lacrymis ſępius illa meis.
Quidquid id eſt pictâ dū ſic malè navigo chartâ,
Te dubium pelagus, me mea Roma tenet,

3. *Propheta Ionas cum Deo refractarius navigaret in Tarſis tempestate interceptus eſt: cuius cum ipſe cauſa eſſet, in mare præcipitatur.* Ionæ, cap. 1.

Forſan & hic etiam quid agam reſciſſe iuvabit:
Flemus: habes vitæ facta, modumque meæ.
Aut modò cum ſocru de te fugitive, ſuſurro:
Quæque tuum miror cauſa ſuaſit iter.
Aut modò cõtrectans malè cœpti pignus amoris,
Corripio verbis hæc tua dona meis.
Annule, quid fidum (dico) mentiris ALEXIM?
Nil præter vacuæ murmura vocis habes.
ſæpius hunc volui digito deponere: ſemper
Hoc vetuit, conſtans qui tibi pugnat Amor.
Ergo mihi de te niſi tantum iniuria reſtat?
Donaque pollicitis inferiora tuis.
Fallimur & gemitus reſtant, lacrymæque per ora,
Deque meis oculis in tua dona cadunt.
At tibi quàm meliùs caderent in pectus, ALEXI?
Mollirentque tuas in mea vota fibras?
Quid referam quoties votivâ ſupplico cerâ?
Humeſcit lacrymis quælibet ara meis.
Heu, quàm diſsimiles! dũ tu malè forſitan erras,
Erramus puro per loca ſacra pede.
Nam modò porticibus ſpatior, quibus addita (moles
Vaticana 4, ſuis incubat alta iugis.
Nunc propiora ſequens ſacram properamus in ædem:
ſive 5. Sabina, tuam; ſeu bona 6. Priſca tuam,
Trans Tybrim interdum noſtras quoque deſero flammas,
Fons vbi non vnâ 7. ſalvius exit aquâ.

Nunc

4. Templum S. Petri in Vaticano.
5. 6. Templa SS. Sabina & Priſca 7. Templum S. Pauli trans Tyberim ad aquas Salvias: vbi ſcilicet tres fontes ex triplici ſubſultu ſacri capitis abſciſſi miraculo ſcaturiere.

Nunc ſubiens templum gradibus ſublime Mariæ
Efferor in tales ore gemente ſonos.
Deficimus, Virgo ſcis cauſam : fugit Alexis :
Meque ſine ignotas corripit ille vias.
Si face præluces ſulcantibus æquora nautis,
Fac teneat portus hæc quoque cymba ſuos.
Ipſa ego ſum portus : neu ſors hunc devia fallat
Lumen in aſpectu nocte, diuque gero.
Interea patriâ dum mœſtæ occludimur aulâ
Conveniunt matres, Romulideſque nurus
Quid, POLYDORA, gemis ? quin ſplendes murice dicunt,
Et tunicâ formæ conveniente tuæ?
Scilicet ipſa tegar ſaturatâ murice veſte,
Vix lacero panno tectus ALEXIS erit.
Ipſa comas pectam ? pluviâ caput ipſe madeſcat,
Sponſaque ſim ſponſo decolor vſque meo.
Non erit hoc; ſquallore tuos imitata labores,
Dicar, & iſta fugæ tempora triſtis agam.
Nec malè jam cœpi : mœret domus obſita luctu,
Atque intus ſpeciem funeris eſſe putes.
Credor in hoc etiam ? mediâ jam pſittatus aulâ
Dedidicit, ſolito triſtior, ore loqui.
Nempe meos gemitus, ſuſpiria noſtra reſumit :
Et tanquam aggemeret, clamat ALEXI, redi.
O fugitive redi, ſi te cœleſtia tangunt,
Si qua tibi pietas, ô fugitive redi.
Si reditum excuſas, latites qua parte moneto :
Illuc me curſu præpetè ducet amor.
Seu pedibus carpenda via eſt talaria nectet:
Seu mare ſulcandum, diriget ille ratem.

Fœmina

Fœmina ſim quamvis naturâ mollis & annis:
Te duce condiſcam fortis acerba pati.
Attamen hoc potiùs, Latiam remeabis ad vrbem:
Neu dubites quonam tramite, facta via eſt,
Forſitan adijcies, quod ſis metuentior vndæ;
Expertumque priùs nunc vereare fretum.
Ne metue, infidis mare formidabile nautis:
Si redeas, nullum iam tibi crimen erit.
Tunc (reor) implebunt ſpirantes lintea venti,
Tutaque pacatâ cymba recurret aquâ.
Vt venti deſint, ſuſpiria noſtra juvabunt:
Aſpirant omni ſcilicet illa die.
Ipſe movebit amor, remo veloque phaſelum,
Iſtruet & curſus ad mea vota tuos.
Huc ergo fugitive redi, ſponſamque reviſe:
Quæ modò ſit tecum, quidlibet eſſe feret.
Sin minus, ah nimiis cedam mœroribus impar:
A nobis profugus non potes eſſe diu.
Te levis vmbra ſequar: forſan terrebere viſu,
Et mortis dices huic ego cauſa fui.
Ipſa tamen parcâ: quin tu quoque diſcis amanti
Parcere, & exemplo mitior eſſe meo?
Quod ſi ſacra placent, ſi ſanctior eſſe laboras,
Sic fugiens, certè non ſapienter agis.
Qui vagus ignotas peregrinus obambulat oras;
Sordeſcit longâ ſæpius ille viâ.
Ergo redi, patriæque domus penetralia ſerva:
Ille locus templi pondus & inſtar habet.
Hic bene ſi degas, quamvis ſub limine primo,
Crede mihi, nuſquam ſanctior hoſpes erit.

EPISTO-

EPISTOLA QVARTA.

ARGVMENTVM.

T*Heodora Virgo Alexandrina, ſtirpe nobili, cùm ad impurum carcerem damnata raperetur, quò aut pudicitiam, aut fidem amitteret: novo prorſus atque inuſitato facinore iniuriam evaſit. Siquidem juvenis miles, cui Didimo nomen erat, illud primus omnium, ſed caſto pede animoq; quippe Theodoram liberaturus penetravit. Illum cum Virgine ita colloquentem inducit D. Ambroſius.* Ne quæſo paveas, ſoror: Frater huc veni ſalvare animam, non perdere. Veſtimenta mutemus: conveniunt mihi tua, & mea tibi, vtraq; Chriſto. Tua veſtis me verum militem faciat: mea te Virginem. *Hæc inter chlamydem exuit*, traditque habitum, *vti argutè idem Ambroſius ait*; qui abſcondebat fœminam; accepit qui conſecrabat Martyrem. *Igitur ſic mutato, confuſoq; inter ſe amictu Theodora carcere elabitur, Didimus verò qui iſthic veſte muliebri diſſimulatus remanſerat, poſt paulò patefacta fraude ad tribunal raptus eſt. Quod vbi reſcivit Theodora hanc ad eum Epiſtolam ſcribendi occaſionem arripuit: in qua primùm ei gratias agit de conſervata pudicitia. Sed cùm inter ſcribẽdum nuntium accepiſſet de lata in eum capitis ſententia: vehementer dolet contenditque iteratò hic mutandas eſſe vices, Poſtremò ad conſtantiam hortatur, ſpondetq; ſe mox adfuturam, vti cum eo Mortyrium ſubeat: quod & accidit:* D. Ambroſ. lib. 2. de Virgin. Surius Tom. 2. Martyrol. Rom. 28. Aprilis.

Theodora Didymo



12.

SYMBOLVM

Cygnus caſtimoniam hîc adumbrat, vel ab ipſa albedine ſpectabilis, plenuſque illicij. Porrò quod duos expreſſimus, *Theodoræ* ac *Didymi* imaginem dare placuit: in quibus niveos mores inſpicias, neque poſtea vel fuſo ſanguine inficiendos. Scilicet rectè cum Poëta dixeris.

Venus hec rubet vna cruore.

Theo-

Theodora Didymo

QVam legis, à Salva THEODORA littera venit,
Officij gratas exhibitura vices.
Nempe quod illæso fugi mala tecta pudore,
Sunt ea militiæ, DYDYME, facta tuæ.
Eloquar, an sileam? primas quoque criminis vmbras
Cor pavet, & cœptum pœne relinquit opus.
Quæ loca pes tetigit, non audet scribere dextra:
Quamvis sint lacrymis illa piata meis.
Pro me scribat amor, bene qui servavit amantem
Et castam impuro iussit abire loco.
Ille mihi tunc, cùm Veneris spelæa subirem,
Quid fles hic casto corpore, dixit, eris.
Consule pacatis habitata leonibus antra,
Et non læsuros corpora nuda rogos.
Pura specum introiit, sed purior, exijt Agnes,
Hæ mihi sunt vires, hoc & amoris opus.
Ergo age, neu primi formides militis ora,
Ille meo missus nomine, tutor erit:
Cæsarie quamvis vultuque oculisque decorum;
Vestiat attonsis prima iuventa genis;
Veste super fulvum quamvis suspenderit ensem,
Pictus & hunc Phrygia balteus ornet acu:
Nil tamen hîc, THEODORA tibi quod rere timendum:
DIDYMVS est, castris militat ille meis.
Dixerat hæc; subitoque mihi fiducia crevit:
Spurca tamen lacrymas antra bibere meas.

Quin

Quin etiam, dixi, lacrymæ consistite : carcer
Ille meo meliùs sanguine lotus erit.
Sunt mihi quæ stricto pateant præcordia ferro,
Impuras nunquam ferre sueta faces.
Christe, per has lacrimas oro, (quando ire paratus
Suffosso nundum pectore sanguis abit.)
Vel fer opem, vel dede neci : superabimus illâ:
Servandæ vires virginitatis habet,
Hæc ego dum meditor. subitò succedis in antrum:
Ausus es & casto sic prior ore loqui,
Pone metum Theodora,tuo pugnamus amori,
Virgineâ tecum stringimus arma manu.
Non ego sum,quem reris amans ; succuro sorori
Frater : habes animi sensa, notamque mei.
Mutemus tunicas, fraus hæc iuvat : altera fiam,
Hic Theodora : foris Didimus alter eris.
Nec mora, depositos humeris mihi tradis amictus,
Aptaque versandis pallia laxa dolis.
Involvor tunicâ : coguntur vertice crines:
Virginumque premunt non mea tela latus.
Egredior : pressoque caput velata galero,
Insolita cupidos fallimus arte viros.
Qualiter accipitris laxo fugit vngue columba,
Aut excussa avidi dentibus agna lupi.
Aut sic, aut etiam fugi magis : vrsit amantem,
Et plantis alas addidit ipse timor.
Ah ! quoties vultus, pallentiaque ora reflexi,
Ne cœptum à tergo curreret hostis iter.

Crede

Crede mihi, si quod passa est malè; Lothica coniux,
Pone Gomorrhæos linquere iussa rogos.
Hoc ego passa forem: multus lapis esset vbique
Et nova per medias stantia signa vias.
Mox vbi lapsa fugâ, tuta statione resedi,
Converti plausus in tua facta meos.
Vivat io (dixi) qui sic certamina miscet
Didimus, & lauro tempora vinctus eat.
Spectandus curru veniat sublimis eburno,
Virginea resonent parta trophæa tubâ.
Ponè Venus subiens, manibusque cupido revinctis,
Lugeat attritas & sine luce faces.
Blanditiæ comites captæ ducantur, & omnis
Quæcunque Idaliæ gens famulatur heræ,
Ipsa regam currus, populo clamante triumphum,
Quæque priùs belli, pars quoque laudis ero.
Quid tamen hæc iacto? scribendi nuntia venit
Littera: te tunicæ fraude perire meæ.
Hei! mihi quid feci? cur letho indebita cedas
Victima, pro casta Virgine castus amans?
Quid moror? iniusto procumbas hostia ferro;
Ipsaque supplicij causa superstes ero!
Hòcce meo lacrymæ; fluat isto corpore sanguis,
Dumque fluet, lacrymas provocet ille meas,
Provocet vsque licet: dabimus quoque sanguinis vndas,
Et decet: huc enses lictor & arma para.
Ante quidem fugi, sed fugi damna pudoris:
Quā peto, mors dāmno est quęlibet ipsa minor
Ibimus,

1. *Vxor Lothi, quæ quia oculis retroactis incendium Sodomæ & Gomorrhæ spectavit in statuam salis versa est.* Gen, cap, 19

Ibimus, adverſo pectus præbebimus enſi,
Hîc vbi caſta priùs vulnera fecit Amor.
Dũ loquor, heu! ſtricto forſan mucrone ſatelles,
Exerit armatas in tua colla manus.
Ah! nimium properas: ferrum compeſce, ſatelles
Altera quæ tollas iam tibi colla dabo.
DIDYME, fac dicas etiã cùm videris enſem,
Siſte precor, miles, iam THEODORA venit.
Illa cupit noſtri teſtis certaminis eſſe:
Illa madere ſuo ſanguinis imbre cupit.
Vtque ſit hoc verum, tranſactæ ſomnia noctis,
Sinceram faciunt in mea vota fidem.
Namque ſub auroram, cum iam morientibus vmbris
Diſparent primo ſidera pulſa die.
Qua vada 8. Nilus habet fluvialibus obſitus herbis.
Flebile neſcio quid clangere viſus olor.
Clanxerat: ecce tibi candore ſimillimus alter
Adnatat, & ſociam ferre laborat opem.
Fit via per iunços, prior enatat, alter in alga
Hæret, & occluſis ſeptus oberrat aquis.
Nulla mora eſt; circùm telis metuendus & arcu
Fluminææ miles fata minatur avi.
Protinus evigilo & caſtam miſerata volucrem
Viſa mihi clarâ dicere voce: cave.
Si qua fides ſomnis; iſta ſub imagine diſco,
Quæ te etiam captum fata, malumque premunt.

Scilicet

8, Nilus Ægypti fluvius, vt ſupra annotatum eſt, Alexandriam vrbem, Theodoræ Virginis patriam alluens.

Scilicet ipſe peris, cygno formoſior albo,
Dùm ſociam ſervas candidus ales avem,
Quidquid erit; merito ſculpétur marmora verſu
Ante tamen lacrymis mollia facta meis.
DIDYMVS hic recubat : mutatâ veſte ſorori
Quam mortem frater diſtulit, ipſe tulit.
At malè vaticinor : viſi ſub imagine ſomni
Alter in alterius fata recurrit olor,
Funera iunguntur : primâ cadit ille ſagittâ,
Inque cruentatas mergitur alter aquas.
Debetur noſtris hæc duplex gloria fatis :
Quos agit, hos vno funere iunget Amor.
Quin etiam functos tumulo componet eodem,
Cauſaque verſiculis ſcripta duobus erit
DIDYMVS; hoc tumulo THEODORÆ iungitur illa
Quòd fugis Virgo, quod tulit alter opem.

EPISTO-

EPISTOLA QUINTA.

ARGVMENTVM.

A*Lena Leuvoldi & Hildegardis, qui Diebbecani in Brabantia tractus dominio floruere sub annum* 661 *filia, cùm Gentilitijs erroribus apud parentes irretita, tandem de fide, vsuq; sacrorum apud Christianos quidpiam inaudiisset, nova regionis cupiditas ejus animum incessit. Quamobrem Forestum sive VVorstium (pagus est primò ad Bruxellam lapide, ad Zennam fluvium) cogitat: quò & inscijs parentibus noctu cum famula proficisci statuit. Quod vbi succedit, primus statim fidei elementis imbui, tùm & salutaribus aquis lustrari; denique eò frequentiùs itare cœpit. Verùm cùm nocte quadam intercepta fuisset à famulo, & ad patrem delata (quamquam priùs cum eodem famulo ampla mercede silentium pacta esset) gravem patris iram incurrit: qui & filiam domi, ceu carcere, adhibitis etiam custodijs diligenter attineri jussit. Igitur Alena cum nullatenus exire posset: hanc Epistolam ad Phosphorianum (sic enim VVorstiani sacelli præsidem appellare visum est) scribit. In qua illum de ijs quæ accidisset commonefacit; asserens fore vt posthabitis parentum minis, elusisque custodibus eò rursus evolare contendat. Rogat ergo vti faculam ex more de turri prætendat: itemq; (si quid ei sinistri in via per violentiam acciderit) vt corpus suum VVorstium deferri curet. Vbi & nonnulla de martyrio suo, & ijs quæ post mortem evenere vaticinando assequitur.* Ex antiquis Registris & M S anno 661. Molanus ex Natalibus SS. Belgii, 17. Iulii. Ale-

Alena Phoſphoriano,



13.

SYMBOLVM.

Mola, quam ſpectas, in alijs ventum habet, intus triticum molit. *Alenam* hinc diſce, & eam quidem ex corporis habitu cultuque Gentilem vt antea, at animo Chriſtianam. Pius dolus eſt, ſicubi alterum ad ſalutem fallis: & de *Alena*, juxtà ac mola appoſitè aſſeras.

Plus intus, quàm foris.

Alena

Alena Phosphoriano.

MIttit ALENA novam, quam mallet ferre
salutem
Si sinat ira patris, PHOSPHORIANE, tibi
Si mihi, quò quondam vel noctibus ire liceret
Monstrabat dubias cùm mihi luna vias:
Mœstus eris, venietque tibi gravis iste libellus
Et dices: cùr sacra parantur, abest,
Pagina scripta venit: sed scripti non venit auctor
Illa meæ pretium sedulitatis erat.
Hoc fuimus quōdam: patrio iam carcere claudor
Meque parens sœvo durior hoste premit.
Occulit ille domo: neu fors occulta recedam,
Non vno clausum milite servat iter.
Optavi quoties cœcam caligine noctem,
Aptaque propositæ tempora nigra fugæ,
Ah quoties dixi! concurrite nubila cœlo,
Et madidus pluvias concitet Auster aquas.
Luna caput condat: quantumvis faverit olim
Lumine; nunc claras occulat illa faces.
Vtilis ante mihi resplenduit: at modò cœli
Vtilior vultus nubibus ater erit.
Dum tamen hec moneo: nebulosa spissior vmb
Nox iit, inque meas officiosa vias.
Egressura fui: nisi quod sub limine primo
Latratum exciti nocte dedere canes.
Protinus acclamant vigiles: ego terreor illis,
Et subitò trepidum mœsta reduco pedem.
Inde cubile petens; si fors ancilla rogatur,
Quid faciam? cupido discere, dormit, ait.
Inte

Interea ex oculis mixtus singultibus imber
Labitur, inq; meum per mea membra thorum.
Interdùm cubito, patulæque innixa fenestræ,
Prospecto in tenebris si quis ab æde micat.
Sæpeque longinquâ vigilantia lumina turre,
Aut videt, aut acies nostra videre putat.
Nec mora: succlamo, turri meus ardor in illa est:
Quoque vehi nequeo corpore mente feror.
Indignor famulo tacitas qui prodidit artes,
Et pia nocturnæ furta parata viæ.
Siccine succlamo, mea perfide, gaudia turbas?
Quamque priùs dederas in mea pacta fidem.
Si quod promisi minus est; maiora dedissem:
Libertas magno munere debet emi.
Sed frustra est: genitor, dic 1. Æschyle, & accipe nummum,
Inquit: quid tacita me premis vsque morâ.
Æschyle quid tentas? verbo 2. LEVVOLDIAS vno
Ah quantum nescis ipsa subibit onus!
Factum aperit, prodorque patri: dabis, improbe, pœnas:
Ille tibi posthac sermo luendus erit.
Interea dum cuncta negant aditumq; fugamque:
Mente agito captæ tempora prima viæ.
Scilicet est aliquid (si quæ fuit ante voluptas)
Quod nobis tacita mente reducit opus.

1 *Æschylus famuli nomen, cum quo pacta fuerat Alena se ad patrem de clandestina fuga deferretur.*
2. *Levvoldias Alena à Levvoldo patre.*

Nox erat in cursu: foribus cùm exire paternis,
Virgineus castam sollicitabat Amor.
Nec mora: veste levi, baculoq; armata 3 colurno,
In tenebris audax, & nova miles eram.
Egredior pede suspenso pressisque labellis
Desero sopitos nocte silente lares.
Sola mihi è famulis ibat comes addita 4. Thisbe:
Hæc mihi solamen consiliumque fuit.
Villica stramineis quâ panditur area tectis
Prima patet, paleâ cespitibusque frequens.
Quàm sæpe extimui subitò ne clangeret anser
Improbus; & cœptam proderet ore fugam!
Ipsa ego sic tacitè mecum; dum forsitan irem
Quà clausus stabulo plurimus anser erat:
Anser 5. amice, sile: non Gallicus irruit hostis,
Tarpeioque ferox imminet ille jugo.
Sola puella lares studet effugisse paternos,
Causaque nil belli, nilque timoris habet.
Ergo sile, profugamque iuva: sic pabula tellus,
Præbeat herbosos sic tibi 6. Zenna lacus.
Iamque domo egressæ camporum iugera gressu,
Tangimus; & viridem, pascua bobus, humum.
Omnia nocte silent, stant & sine murmure sylvæ
Excipe quod streperis rivulus exit aquis.
Erramus dumos inter, virgultaque ripis
Consita: nec minimo corda pavore micant.
Scilicet ætherio qui me succendit ab igne,
Securam quævis per loca ducit Amor.

Qui

3. Ex corylo, quo Scipione uti solebat, de quo mox
4. Thisbe nomen famulæ, cum qua Alena noctu Forestu itabat. *5. Anserum olim clangore exciti Romani, Gal[li] hostes furtivè in Capitolium irrumpentes, repulêre.*
6. Zenna fluviolus, ea locorum præterfluens & irrigans

Quidquid id eſt, nuper ferali carmine bubo
  Stridit, vt infauſtæ nuntia cladis avis.
Extimui primò; ſic me ſimulacra movebant,
  Que pueris fallax ſæpe recantat anus.
Attamen vt primùm me juxta conſtitit Ales
  Ductor, in Æolios hæc abiêre notos.
Et prior, vt pavidam vidit dubiamq́ue timore,
  Quid fruſtra vultu concidis? Ales ait.
Perge aude, pulchris aderit victoria cœptis:
  Sive, quod ipſa paves, ſive ſuperſtes eris.
Quò magis accedo, propioraque VVorſtia fiunt
  Culmina, prætenſâ lucidiora face:
Plus libet ire mihi, non me Zennæ alveus arcet,
  Quin fiat tactâ pes meus vdus aquâ.
Excipis in tẽplum cupidaque ſacraria monſtras,
  Et quidquid puræ relligionis habes
Thura damus plenaq; Deum veneramur acerra:
  7. Patrius è ligno Iupiter ignis erat.
Ardeat atque vtinã reliquus, prunasq; miniſtret:
  Inq́ue novos veniant thurea dona focos.
Hæc vbi; formoſâ quæ ſtabat imagine Virgo;
  Vade, ſed huc redeas dicere viſa fuit.
Quid facimus? clauſâ Genitor me continet aulâ:
  Ille locus ſævi carceris inſtar habet
Sed tamen experiar: me nulla pericula terrent,
  Quantúmvis certas illa datura neces.
Obſcurus paucis tantùm ſit noctibus aër,
  Occluſum nobis experiemur iter.
Aut mihi continget felix audacia ſalvæ;
  Aut mors captivi finis amoris erit.

7. Idolum Iovis ligneum furtivè patriâ domo ablatum confringitur, & igni datur.

Ante mihi fracta recidet compage lacertus,
Destituam cœptâ quàm priùs ire viâ.
Vtque reor, fiet: 8 sic mens præsaga futuri
Æstuat: atque intus, quo sibi plaudat, habet.
Sicubi contigerit: dilectæ funus ALENÆ
Instrue, & acceptas in mea vota preces.
Fac referas corpus, socioque impone sepulcro,
Et laceros artus, & mea membra precor.
Quin etiam baculum coryli de stirpe recisum
Depangi terræ, PHOSPHORIANE, velim.
Scilicet ex illo 9 corylus rediviva virebit,
Et multis medicas proferet illa nuces.
Atque 10. vtinâ moti ceu quôdam flamine venti,
Fingitur humanos canna dedisse sonos,
Hæc quoque nux crescens, vel famæ murmure dicat,
Præque aliis istud concinat arbor opus.
Quam vivam genitor Christo rapiebat Alenam
Occumbens Christo reddidit ipsa patrem. 11.

8. *Nam ab Insidiis à Patre collocatis ita raptata est, vt ei brachium etiam avulsum sit; quod Angelus facienti ad aram Sacerdoti adhuc sanguinolentum attulit*

9. *Ex Alenæ baculo in terram defixo corylus enata nucibus abundans, quas ad morbos sanandos pleriq; religiosè colligunt.*

10. *Fit allusio ad fabulam de Mida Rege, quæ ait deffossa in terram hæc verba.* Aures Asininas habet Rex Midas: *inde exortas arundines, cum vento agitarentur, eadem hæc verba reddidisse.* Ovid 11. Metamorph.

11. *Parentes Alenæ post eius obitum statim ad fidem Christianam conversi sunt.*

EPISTO-

EPIST. VI.

ARGUMENTUM.

FVit inter LVCIAS Virgines, huiusce nominis complures, vti Annales sacri recolunt, Alexandrina quædam forma præstantiâ sed magis animi dotibus præcellens Quod hoc facinore, à quo Epistolæ materies sumpta est facilè enotuit, Quippe hæc Lucia *virgo, vbi se adamari à Principe, idq; oculorum illicio ac venustate resciuisset: eruisse sibi oculos fertur, ne aut alium ipsa caperet, aut ab alio caperetur. Hos igitur oculos pixide inclusos ad amatorem suum transmitiit, quem à græco* σκοτεις, *id est tenebris, quibus per amorem captus erat, Scotianum appellare placuit. Porrò LVCIA in hac Epistola primò factum denarrat, atque in oculos invehitur, vtpote periculosa semper ad voluptates captandas lenocinia. Exinde culpata SCOTIANI cupidine, obsecrat vt transmissum à se munus, quod vtiq; in votis vnicè habuerat, æquo vultu excipiat: simul vel ex hoc discat quam fluxa sint huius ævi decora, quò amorem à terrenis ad cælestia traducat. Quod & ita evenisse creditur.* Sophronius in prat spirit lib. 1. cap. 5. P. Heribertus è Soc. Iesu in vitis ss. Patrum.

Lucia Scotiano.



SYMBOLUM.

Heus, Amor, quid ſtupes? quid vultum formamq́ue in flumine miraris? certè vt aquæ, ita formæ ingenium mobile, fluxumq́ue eſt. De quo eleganter P. *Pennequinus Eleg. lib. 2. Eleg. 3.*

Naturæ pictura brevis, luſuſq́; colorum,
Tormentumq́ue oculi.

Cui etiam, vt aquæ, rectè iſtud adjeceris
Fulgetq́ue, fugitque.

Lucia

Lucia Scotiano.

LVCIA 1. Niliacis virgo malè cognita terris
Postremas scribo cæca futura notas.
Scribo tibi SCOTIANE, oculis quem læsimus: illi
Ne dubita. pœnas, quas meruêre dabunt.
Punitur, stricto qui corpora suffodit ense,
Vulnera qui menti fecit, inultus erit?
Sæpe tulit furcam vicinæ messor aristæ;
Nec latro raptas funere solvat opes?
Non erit. hæc altâ fixa est sententia mente,
Vixque manus lentas sustinet usque moras.
At priùs, ut fuerim malefaustâ prodita pugna,
Expedit & casus exposuisse meos.
Nempe mihi iussus fodit qui lumina culter,
Vt cernas, oculos erudit ille tuos.
Circus erat, populo scenam, ludosque daturus:
(Sæpius is casti damna pudoris habet.)
Serica marmoreo pendebant vela theatro,
Spirabant liquidos pulpita rubra crocos.
Nescio ut huc veni: nisi quod sic fœmina scænam
Captat, ut appositos piscis in amne cibos.
Constiterant populi, velisque hinc inde reductis,
Spectandus scenâ plurimus actor erat.
Iam cornu, lituique sonant venatibus apti;
Exhibet & varias sylva propinqua feras.
Parte alia nivei circùm venantur Amores,
Vestiti levibus corpora nuda sagis.

 Retia

5. *Niliaca terra pro Ægypto ponitur, quam Nilus fluvius irrigat, ipsaq; Alexādria urbe, ex qua Lucia oriunda erat.*

Retia pars tendit, pars ſpicula tractat & arcum:
Iamque levis fixâ cuſpide cerva cadit.
Fit plauſus, lætosque tenent ſpectacula cives,
Cum nuribus pueros, cum puerisque nurus.
Deme vnum, facies vna eſt, hilariſque theatri:
Cunctaque feſtivis plauſibus ora ſonant.
Scilicet errabas, oculis, SCOTIANE; meuſque
Quod tunc ſpectabas, nil niſi vultus erat.
Senſimus heu! gremioque pudor deiecit ocellos,
Meque ferunt totis erubuiſſe genis.
Caſte pudor, (cœtu ſi quid peccavimus iſto)
Da veniam partem criminis error habet.
Non ego ſic ſcenam nec ludos eſſe putavi,
Lædere vt aſpectu tam citò poſſet Amor.
Caſte pudor, ſi quid merui non abnuo pœnam:
En ego do iunctas in tua iura manus.
Adde oculos velo, velum meruere procaces:
Adde pedes vinclis, & meruere pedes.
Docta mali poſthac vitabo cupidinis arces.
Et loca virgineo non adeunda pede.
Hæc ego dum tacitè voveo, mihi littera ſupplex
Redditur, à læſo littera miſſa viro.
Confiteor, primum dubitavi tangere, nequeis
Gliſceret attactu noſtra per oſſa calor.
Sed tamen excepi: ſoluit ſignacula culter:
Næ qua darem admotis oſcula fortè labris.
Vt legi, extimui: flammâ ſuccendimur, inquis:
Inque tuis oculi procubuêre mei.

Hos

Hos ego depereo dederit si LVCIA; quondam
Quod tulit, hoc rursum 2 Pelias hasta feret.
Parce, precor, læso: binis mihi vulnus ocellis,
Qui mea distrinxit lumina, fecit Amor.
Ergone, succlamo, sic bino prodimur hoste,
Qui mihi pro speculis vnus & alter erant?
Pellaces oculi! quem non læsistis amando?
Quodcumq; est per vos fluxit in orbe malum.
Publica venerunt viso contagia 3. pomo,
Inque necem robur nunc quoque visus habet.
Consule 4. Iessëiden 5. Hethæidis ardet amore
Idque oculis nudam sustinuisse fuit.
Vestra quoque antiquis dicuntur Numina fastis,
Sæpiùs aspectu damna tulisse suo.
Iupiter 6. Europam quamprimùm vidit ab alto;
Turpis, & excusso fulmine taurus erat.
Tyndareæ vidit quamprimùm lumina 7 Ledæ:
De Iove, flumineo fonte natavit olor.
Quò raperis, SCOTIANE? oculi quid amoribus ardes?
Heu! nescis quantum vulneris ille vehit.
Quid tamen interea cupidum frustremur amantem?
Et trahimus longâ dona petita morâ?
Aude anime: & seris miranda nepotibus olim
Incipe sanguinea bella movere manu.

2. *Telephus hasta læsus ab Achille, ab eodem sanatus est, emplastro de rubigine confecto.*
3. Vidit mulier quod bonũ esset lignũ ad vescendũ, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile. *Gent. 3.*
4. *Iessides David à Iesse Patre sic dictus.*
5. *Hethæis Bersabee, a marito Vria Hethæo sic vocata.*
6. 7. *Vide Epistolam quintam Lib. primi pag. 34.*

Hæc vbi: roratis ſtillarunt lumina guttis:
Vicinam cladem pertimuiſſe putes.
Quid tamen, heu! fruſtrâ bini ploratis ocelli,
Poſtremoque meas tingitis imbre genas?
Scimus, & â vobis qui forſan prodiit ignis,
Nec malus, aut Paphij militis ille fuit.
Quidquid id eſt; ſatis eſt iuveni potuiſſe placere:
Vos eritis culpæ victima bina meæ.
Si pretium amiſſæ petitis mea lumina flammæ,
Non aliud forſan quàm SCOTIANVS erit.
Quid? quod & aurato quæ fulget cortice pixis,
Quæque nitet radiis, Indica gemma, tuis.
Hęc vos arca manet, liquido quam dives amomo,
Tinget & Aſſyrio ceſpite pinguis Arabs.
Ibitis ad dominum, quantúmvis flebile munus:
Inſcius & promptam porriget ille manum.
Ceſſabant lacrymæ: properabat currere ſanguis:
Et propè iam nobis reddita tortor eram.
Obſtitit alter Amor, qui pro te dimicat: ille
Ne propera, cœptum perfice, dixit, opus.
Sic bene ſuffuſo claudetur Epiſtola tabo;
Signatuſque tua cęde libellus erit.
Quid moveam contra caſſos ſine lumine vultus?
Candidior medio lux erit illa die.
Ibimus, & denſæ conferta per agmina turbæ:
Spectandas dabimus tunc ſine luce genas.
Nec cane, nec baculo ducam veſtigia; cæcæ
Duxque comeſque mihi prævius ibit Amor.
O! quoties Phariis mirabitur advena terris,
Et noſtri quæret fata, modumque mali!
Protinus hæc referam: quam cæcam conſpicis ho-
Nativi non ſic temporis hora tulit. (ſpes,
Sed

Sed neque Tobiadæ fimo cæcavit hirundo:
Morbidaque in vultus vis resoluta meos.
Fecit Amor, cæcos hic semper reddit amantes;
Fallimur, & mediis noctibus ille videt,
Sic tibi sit missum dum sors mirabere munus,
Et, vel sic dicas: LVCIA, lumen habes.
Lumen habes: calsisque mihi quos mittis ocellis,
Plus mihi quàm dederas luminis ante, iacis.
Hei mihi! quid feci? nimis ô petulanter amavi!
Ipse ego sum pœnæ, LVCIA, causa tuæ!
Parce precor, iam nunc video meliora; proboque
Quæ nitet è limo forma, caduca nitet.
Terra vale. niveique mihi quos fœmina vultus
Exhibet: heu! damnis officiosa meis!
Scilicet illa cadunt sensim morientibus annis:
Et similis fluvio, sic quoque fallit Amor.
Atque vtinam geminos cùm pixide videris orbes
Accipiant lacrymas hæc mea dona tuas!
Assyrio certè liquor hic præstabit amomo:
Hoc nostrum tingi munere munus amat.
Sic erit: æternæ scripta est victoria buxo:
Quodque legas, ima pixide carmen habes.
Abstuleram Scotiano oculos: nunc furta rependo;
Proq; oculis oculos possidet ille meos.
Fit sacer hinc 8. Argus: & quæ non viderat ante
Iam videt: amborum est illud, & illud opus.

8. *Argus* πανόπτης *à Græcis cognominatus, quod totus oculis scateret.*

E 6 EPISTO-

EPISTOLA SEPTIMA.

ARGVMENTVM

AVstraberta virgo Batefridi. Hedinensis Comitis in Morinis, ex Frameildae filia, cùm ad ineundas nuptias importunius à parentibus vrgeretur: clàm è paternis ædibus cum ancilla & iuniore fratre fugam arripuit. Igitur cùm ad D. Audomarum Morinorũ Antistitē devenisset ac fugæ causā exposuisset ferunt ab eodem quãquàm multis & summis precibus, sacrum velũ seu flammeũ, (cuius gestatio pro cõsecratæ pudicitiæ tessera erat) obtinuisse. Quod quidem hac Epistola Frameildi matri, quippe de clandestino filiæ discessu solicitæ, aperit simul metũ ac mœrorem tollit. Contendit autem maximè vt facinoris facti veniam impetret: addens id rei, non alio quàm divino instinctu ac monito se aggressam fuisse. Vtq; huius rei fidē faciat prodigia enarrat, quæ ad id facinoris viã simul audaciam illi fecere. Quippe vix decennis cùm super fonticulum puellari more colluderet, verticem sibi velo quasi obnubi conspexit. Tum & de Cantia flumine addit pedibus veluti solidâ humo tentato pertransitoq;. Quare his permota Frameildis facultatem filiæ dedit Deo, vbivis locorum vellet, famulandi. Igitur Austraberta ad Portense Monasteriũ, quod ad Somonam fluvium assidet, divertit: vbi & sanctimonialem primò, tum & Antistitam cum laude gessit. Eius nomen adhuc in Artesia & Bononia, vbi antiqua Morinorum sedes extitit percelebre est: extatq; sacrum eius corpus Audomaropoli Arthesiæ oppido P. Iacobus Malbrancq. Soc. Iesu, Lib. 3. de Morinis cap. 33. Surius 10. Februarii.

Austra

Auſtraberta Frameïldi.



15

SYMBOLVM.

Tradunt Poëtæ Narciſſum iuvenem formoſum, dum ſui imaginem in aqua intuetur, miſerè adamaſſe, & periiſſe. Contrarium hîc habes: nam *Auſtraberta* ideò non perit, quia in fonte ſe videt, vtique flammeo quaſi velatam. Etenim ſpeculum (vt ait ille) ſæpiùs innocens eſt,

Nec aquæ ſemper nos fallit imago.

Auſtra-

Austraberta Frameildi.

QVæ fugiens liquit patriam, BATEFRIDIAS aulam,
Si quæ culpa fuit, sic abiisse dolet.
Et dolet, heu! duro matrem læsisse dolore,
Cui modò placandæ littera missa venit.
Parce parens, veniam nec dedignare petenti,
AVSTRABERTÆ etiam (si finis) vsque tuæ.
Non ego quod feci, didici puerilibus annis:
Prima isthæc ætas crimine nostra vacat.
Nempe latere domo, vulgique odisse choreas,
Magna pudicitiæ pars fuit illa meæ.
Quod tamen è patrijs laribus clam cessimus, acta
Et sensus animi nil reticentis habe.
Cedere jussit Amor, qui me meliore sagitta,
Strinxerat, & flammis vsserat ante suis.
Sæpius ille mihi, gaude BATEFRIDIA dixit:
Casta tibi castus fœdera spondet Amor.
In thalamum imperio quamvis cogare paterno,
Et sua jam moveat sacra coactus Hymen,
Ne metue; ingenio multa quoque pollet in arte
Quem sequeris; varias condocet ire vias.
Sic quondam invito fertur nupsisse marito,
2. Romulis & Cyprias nil timuisse faces,
Hâc tu perge viâ: sic & tibi CHRISTUS amator
Libatæ custos virginitatis erit.

Dixerat

1. *Batefridias, seu Batefridia, Austraberta sic dicitur à Batefrido patre.*
2. *Romulis, Cæcilia Virgo Romana Valeriano nupta.*

Dixerat hæc: pharetrâque potens & lucidus igni,
Ad ſua me pugilem caſtra movebat Amor,
Si tamen expectas, portenta vt vocibus addam;
Vera loquar veri vix habitura fidem.
Eſt locus aprico quâ fons pellucidus horto
Multiplici juſſas fonte miniſtrat aquas.
Non illum paſtor, non lapſus ab arbore ramus
Sordidave immerſo corpore turbat avis.
Fortè puellares illuc dùm confero greſſus,
Oráque in illimi conſpicienda vado:
Protinus alba nigro fuſcari tempora velo,
(Mira fides,) liquidas cernimus inter aquas.
Diſparent in fonte comæ, quíque auribus imis
Promicat invitus, pendula gemma lapis.
Obſtupeo primùm: iuvat vſque ac vſque tueri:
Aſpectus ſpecies detinet illa meos.
Oſcula pœne dedi, merſique in flumine vultum,
Sic mea ſpectanti nec mea forma; placet.
Protinus exclamo; quid agis, BATEFRIDIA? ab illo
Qualis eris quondam diſcere fonte potes.
CHRISTE, precor liquidæ quam pingis in æquore lymphæ.
Fac tibi me talem ſemper adumbret amor,
Plura locuturæ lacrymæ cecidere, ſimulque
Turbato periit vitrea forma lacu.
Indignor, madidoſque oculos in crimina verto:
Quod prodeſt aliis, hoc mihi damna movet.
Interea gelidis quamquam cryſtallinus vndis
Fons riget: hac viſâ cor mihi fervet aquâ.
Credis & hoc, iſto dimanant omnia fonte,
AVSTRABERTÆ ignes ille dat, ille rapit.

Si

Si ſuperum pia iura moves, ſuccendimur illo;
Si thalamum; Paphias obruit ille faces
Sæpe locum repeto, tanquam ſervetur in vnda,
Forma iterum vultus exhibitura meos.
Ex hinc vota frequens patrii ad ſecreta ſacelli
Duximus, & longâ ſæpius illa morâ.
Ah! quoties flentem monitu nutricis amaro,
Hinc retrahi mœſtis Cynthia vidit equis!
Ah! quoties lacrymas parvæ miſerata puellæ,
Cum ſomno retulit vota, preceſque meo!
Interea adverſis nequidquam navigo ventis.
Nil niſi connubium patria tecta ſonant.
Quod noſtras murmur quamprimùm perculit aures,
Perculit & ſubitus pallida membra timor.
Non aliter fons ipſe tremit, cum ſtringitur aura,
Aut levis in madida canna paluſtris humo.
Fors aderat frater ſeptenis parvulus annis,
Ille puer vobis inſidiator iit.
Iamque ſilens valvas ſecretæ ſtabat ad aulæ,
Multus vbi de me ſermo maritus erat.
Hinc mihi clamat, abi ſoror optima: ni fugis, inquit,
Connubio domus hæc iam tibi carcer erit.
Obrigui monitu tali: tamen excita ſurgo:
Nam torpere diu non ſinit ipſe timor.
Quid faciam? quò ſola ferar? pavidæque puellæ
Monſtrabit dubium quis mihi fidus iter?
Ingeniū ſtimulabat Amor: quin aufugis? inquit,
Me duce, carpe viam; me duce pelle metus.
Egredior tectis famulâ comitata fideli,
Fratreque, quem ſociâ traximus inde manu.

Nox

Nox erat, & cœlo fulgebat luna ſereno,
Vt fida in noſtras duxque comeſque vias.
Hanc ego ſuſpiciens, mea ſcis ſuſpiria, dixi:
Duc profugam; ſic tu lucida ſemper eas.
Venimus ad fluvium: quid vana obſtacula fingis
Ne metue, & voto ſerviet ille meo.
Cancia 3. flumen erat nivibus cùm fortè ſolutis
Ponte ſuper tumidas volveret altus aquas.
Non illic aderat ripæ ſpes vlla tenendæ,
Quæque vltrà iacto cymba rudente vehat.
Quid facerem? ter cœlo oculos, palmaſque tetendi,
Ter tacito tales preſsimus ore ſonos.
CHRISTE, quid heu! patrios iuvat effugiſſe penates,
Si profugam obiectâ Cancia ſiſtit aquâ?
Quò me duxit Amor, tumidâ cur ſeparor vndâ?
Frigida cur flammis invidet illa meis?
Præcipe CHRISTE, (potes) depreſſus vt alveus vndas
Colligat; inceptum nec mihi rumpat iter.
Aut quia lata tuo ſubſidunt æquora nutu,
Da mihi per liquidas currere poſſe vias,
Nec precor hoc fruſtrà: nuper ſic 4. Bertilis iuit;
Quâ 5 Sambra Hănoniis humidus errat agris.

Hæc

3. *Cancia flumen eſt in finibus Arteſiæ, quod* Hedinium *Monſtroliumq; alluens, brevi tractu per Stapulas oceano Britannico ſe commiſcet.*

4. *Aldegundis. Virgo à Bertilia matre, quæ & ipſa nuptias aufugiens, ſicco veſtigio Sambram fluvium tranſmiſit: & Malbodij delituit, vbi illuſtre Canoniſſarum, vt vocant, Collegium condere aggreſſa eſt.*

5. *Sambra Hannoniæ fluvius.*

Hæc vbi; prætentamus aquam; veſtigia portat:
Augeriumque fugæ Cancia flumen habet.
Si neſcis, genitrix, ſolido ſtant a quota fluctu,
Mollities liquidæ quò tibi cedat aquæ.
Ergo age, quid ceſſas: tantùm dic, filia perge,
Quàm bene voviſti, ſic bene redde fidem.
Quidquid amas placeat; quoniam placet ante Tonanti:
Talis eris mater, ſi modò mater eris.
Hoc probat Audomarus opus; ne forſan errem,
Materiam culpæ detrahit ille meæ.
Si quid ego tamen admiſi cum fratre priandum:
Verbera ego frater ſuav a ſola ferat.
Vaticinor, facies: libet hic applaudere cœptis,
Et tibi fauſta bono dicere verba die.
Egregiè Frameilda, *ſinis natam ire; parentis,*
Nobilius primo nomine nomen habes.
Addet & hoc aliquis poſtquam me viderit illic,
Quò pridem caſtus pergere iuſsit Amor.
Altera ab alterius claret virtutibus: ambas,
Palma docet pugiles: hac tulit, illa dedit.



EPISTO-

EPIST. VIII.

ARGUMENTUM.

Dioſcorus vir fuit ex Nicomedia Bithyniæ oppido gentilis ac prædives: cui cùm ex matrimonio filia vnica obtigiſſet, quam Barbaram appellavit, elegantiſsima formæ; eam, ne promiſcuè hominum aſpectibus, & deſideriis pateſceret, prealtâ turri incluſit. Verùm Barbara cùm in eo carcere Idololatriæ tenebras divino lumine excuſſiſſet, & Chriſtianis dogmatibus ab Angelo imbuta eſſet, pudicitiam Deo vovit. Quod vbi pater agnovit, qui filiam iam deſponderat, vehementer excanduit: tum & nuptias abnuentem cogere, & fugientem inſequi cœpit, donec apprehenſam caſtello, vbi balneum erat, includeret. Barbara igitur ex hoc balnei carcere, ad patrem ſcribit, de eius ſævitia conquerens: foreq; pollicens, quidquid ipſe agitaret, vt nunquam à pudicitiæ ſervandæ propoſito, quam Chriſto voverat, abduceretur. Additq; in eum finem paratam ſe, vel gladio paterno iugulum præbere, mortemq; oppetere: quod vtique poſtea, duplicatâ Virginitatis & Martyrii laureâ, eveniſſe ſcribunt.
D. Damaſcenus, Metaphraſtes, Surius tom. 6. Martyrol, Rom. 4. Decembris.

Barbara Dioſcoro.



SYMBOLVM.

Viden cervam? viden' vt eximio candore, floreoque ad collum ſerto enitet? hinc, ſi neſcis, pro victima eſt, cultro ceſſura. Talis eſt *Barbara* ipſius ævi, ac iuventæ flore amabilis, dum pertinaciùs nuptias rejicit, quas parens in votis habet vrgetque. Adeò & hîc verum iſtud.

Interdum gratia lædit.

Barbara

Barbara Dioſcoro.

ALloquor iratum patrem: ſi ſcribere fas eſt,
Barbara: duritiem nominis ille tenet.
Quæ legis ex illo genitor tibi carcere mitto,
Hic vbi me clauſam ſævior hoſte premis.
Nec tamen indignor: quis enim ſubmurmuret iræ,
Si nocuiſſe volens vtilis ira fuit
Quàm modò vera loquor, turris ſat conſcia novit:
Vtilis hic carcer (crede) duobus erat,
Carcer erat noſtri cuſtoſque obſeſque pudoris;
Arcebat cupidos ianua clauſa procos.
Ah! quoties iſtâ latitans incognita turri:
Hic genitor (dixi) quod ſibi plaudat, habet.
De facie metuit: facies celabitur: illa
Tecta tibi turris, filia dixit erunt.
Riſit Amor, caſtis coëunt cui fœdera palmis,
Humanique expers corporis albus Hymen.
Barbara quid dubitas? turrim ſecura ſubito:
Illa tuæ cuſtos virginitatis erit.
Non ego clauſtra moror; ſummo delabor olympo
Sufficit ad noſtras ſola feneſtra vias.
Sed 1. tibi tres dabimus magni ſimulacra Tonantis
Turris in aſpectu ſemper habebis, ait.
Nec mora, condit opus. latere'que bitumine iũgit
Proq; vna triplex facta feneſtra patet.

Quin

1. *Tres feneſtræ in turri apertæ. ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Quin 2. etiam Saxo, ceu mollis in æquore ceræ
Impressit fidei publica signa, crucem,
Addidit & formam cultus: & imagine coram
Procubuit curvo terque quaterque genu.
Quid mihi tunc animi, credis, votique fuisse
Cùm sacra me coram signa notaret Amor.
Confestim (quid enim sileam?) iuravimus illi:
Iuratamque mihi reddidit ille fidem.
I, genitor, thalamique faces, paphiasque sagittas
Ingere: meque atra (si potes (abde specu.
Libera mens semper cælo spatiabitur alto,
Et carpet liquidas ad sua vota vias.
Interea sensim currentibus ordine fatis,
Vxor in idalium poscor itura thorum.
Abnuimus primò: non sum tam BARBARA dixi,
Vt mihi qui prior est sponsus, inanis eat.
Tolle procul decepte faces Hymnæe maritas
Quam genitor cogit nubere, CHRISTVS habet.
Protinus ora tibi pariter cum voce tumescunt,
Mistaque flagra tuis pœne fuere minis.
Nil tamen ista movent: cuius sum, & dicar oportet,
Vtque feror, semper sponsa Tonantis ero.
Hæc vbi, capto fugam: sequeris vestigia natæ,
Iamque pedi patrius pes mihi iunctus erat.
Saxea 3 sublimi prostabat culmine rupes,
Cœpta meæ rupes implicitura fugæ.

A

2. Crux in Saxo ad parietem efformata, non sine prodigio.
3. Per latera rupis prodigio diducta viam invenit, quò è p[a]ternis manibus elabatur.

At sub tò (quis credat? Amor penetravit; & illa
 Ceu liquidæ moles pervia cessit aquæ.
Quid facis, ah genitor? didicit Mollescere saxum,
 Et tibi cor saxo durius esse potest !
Nil agimus; captam vincis; vinctamque relegas,
 Quà prope 4 Mygdoniis terra madescit aquis
Est illic castrum Pario de marmore; circùm
 Fossa duplex; aditum ponte ministrat opus.
Intus forma decens pictoque emblemate muri,
 Quos tegit & Phrygia pendulus arte tapes.
Plurimus hic circùm nitidâ fons exilit vndâ,
 Et stratam vario marmore tingit humum.
Quid tamen inde mihi grater? spectabile castri
 Tolle decus, tantùm cætera carcer habet.
Hac ego clausa domo teneor, thalamusq; iugalis
 Quò solvar, miseræ ianua sola patet.
Hæc ego diffugiam? vitato corpore, Virgo
 Quæ fueram patrio cogar abire loco,
Mors habeat limen, certum est; transibimus illud:
 Sic peream, possim dummodò castra mori.
Neu metuam patris cultros, ensesque, minasque
 Me sacer adversus spicula fingit Amor.
Intereà quid agam patrio dum carcere claudor,
 Accipe, sed verâ nuntia missa fide.
Sæpe gemens liquidi prospecto balnea fontis,
 Castaque Mygdoniâ membra lavamus aquâ:
Hæc inter lacrymæ stillant, augentque liquorem
 Atque isto meliùs forsitan imbre lavor.
Interdum durū precibus, lacrimisque parentem
 Arguo, qui natæ damna probanda putat.

Sæpius

4. *Mygdonia, idem est ac Bithynia, regio ex qua Barbara oriunda erat.*

Sœpius exclamo: felici funere, mater,
Celsisti, coniux si tibi talis erat.
Quin etiam insidias forsan tibi condidit ægræ:
Quæque fidem virus tradidit ille manu
Ah! quoties dixti, moriens quoque BARBARA, vive:
Et mea fac terræ molliter ossa cubent.
Qui superest genitor (nullum sit in omine pondus)
Fortè tibi ferro barbarus hostis erit.
Hunc tamen obsequio tenta mollire: ferusque
Quàm mihi, tam mitis sit precor ille tibi.
Hoc ego tentavi, caruit successibus: illo
Quo placui vultu, nunc rea cœdis agor.
Sed sic sim præstat, quàm non placuisse tonanti:
Non piget immunes labis habere manus.
Stabat (& hoc referam ne sim tibi parcior ore,
Et calamo lucris invida fortè tuis)
Stabat in arboreo suffixus stipite CHRISTUS,
Effigies multo sanguine picta fuit.
Hanc ego suspiciens manibusq; amplexa figurá,
Effudi tales protinus ore sonos.
CHRISTE, quid hic agimus? dudum suspiria duco,
Et tibi, vel jungi funere poscit Amor.
Eia age rumpe moras, thalamo vel suffice bustum
Scilicet hoc etiam muneris instar erit.
Audiit, & mota leviter cervice precanti.
Annuit: huc enses, lictor, & arma rape.
Neúe morer forsan patrio succumbere ferro:
In patrias venio sponte, volensque manus.
Attame

Attamen hîc modicum tempus, ſpatiumque re-
quiram,
Quò iungam verbis vltima vota meis.
Scilicet 5. orabo, ne mors ſuper ingruat illi,
Cui fuero ſolitâ ſæpè vocata prece.
Deſpuet hoc genitor: dolor heu! 6. tonat igneus
æther;
Iamque volant toto fulmina ſparſa polo.
Ah pater? ah! periture, cave; prædicimus illa:
Hic ſolet eventus facta cruenta ſequi.
Quidquid erit, tumulo luctus, lacrymaſq; viator
Addet, & hæc memori carmina ſcripta notâ,
BARBARA virgo iacet, durum ſine crimine nomẽ
Quo plexa eſt, genitor Barbarus ille fuit.

5. *Obtinuit Barbara ante mortem à Deo id beneficii, vt qui eam invocaverit, ex hac vita migraturus non ſit abſque peccatorum Sacramentali expiatione.*
6. *Dioſcorus Barbaræ pater ſtatim à parricidio in filia perpetrato, fulmine perculſus interiit.*

F R. P

R. P.
JOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSULANI E SOCIETATE IESV SACRARUM HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER TERTIVS
EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

IGNATIVS DE LOIOLA (*qui Societatis* IESU *Auctor ac Parens extitit*) *absoluto Parisiis studiorum curriculo: cùm ex valetudine frequentiùs afflictaretur, Medicorum consilio ac iussu in Hispaniam rediit; ibidem cœli bonitate, in quò primùm editus erat, ad salutem vsurus. Quod vbi* BERTRANDUS DE LOIOLA IGNATII *ex Garcia fratre nepos intellexisset, redeunti honoris ergô obviam processit: multisque institit, vt ad paternas ædes, &* LOIOLEÆ *familiæ castellũ diverteret. Sed cùm frustra id tentasset, digresso*

ad

ad publicum Xenodochium (vti pro more habebat) IGNATIO *, & stipem quotidie ostiatim sibi corrogante: mirari omnes, & subiniquè ferre* BERTRANDUS *cum familia. Quocirca eius vxor, quam* LOIOLIM *siue* LOIOLIDA *à gentilitio mariti cognomine hîc vocamus, hanc ad* IGNATIUM *Epistolam scribit: In qua illum ex Xenodochio in domum paternam elicere nititur : propositis ad id, quas amor, & honoris humani cupiditas suggerebat, rationibus. Primò siquidem nonnulla* LOIOLEÆ *familiæ decora commemorando (vti homines solent) inustam veluti generi maculam arguit : tùm & insinuat Christianæ disciplinæ , quæ mortalium animis ingerebat , dogmata, potissimum ea domesticis tradenda esse: Postremò valetudinis & viarum pericula obijcit, quò ab itinere Romano deterreat: quò quidem proficisci, vnà cum socijs , antequam Lutetiâ discederent, pacti erant. Sed cùm frustra id eniteretur, aut certè ita secum reputaret, ad calcem Epistolæ abituro valedicit, & fausta illi, totique Ecclesiæ apprecatur* Ribadeneira lib. 2. vitæ. cap. 5. Maffeius lib. 2. cap. 1. Orlandinus Hist. Societatis, lib. 1.

Loiolis Ignatio.



17

SYMBOLVM.

Quod equus generoſum animal belloq́ue aptum, hoc animi affectus in homine: ſiquidem violentior vterq́ue eſt, niſi frenum adhibeas. Fecit *Ignatius*, ad quem equi domiti, & in gyrum coacti lemma meritò pertinere affirmes.

Regitur, nec aberrat eundo.

Loiolis Ignatio.

LOIOLIS externis dudum tibi diſsita terris,
Nunc etiam, quamquàm proxima facta, queror.
Nec queror incaſſum: cauſsis vrgemur honeſtis:
Quod mecum doleat iure maritus habet.
Hei mihi! quo ferris pannosâ, Patrue, veſte!?
Heu! vbi nunc quondam qui tibi cultus erat?
Seu Dux, Hiſpano cùm 1, Pampelonia Regi,
Mœnia ſervares, voce manuque potens:
Sive ferocis equi regeres cùm colla decorus
Seſsor, & in galea ſic quoque fortis eques,
Sive duces inter gladioque ſagoque niteres:
Tunc bene vel ſola fronte verendus eras.
Nunc humilis, pannique attrito gauſape tectus
Quiſquilias inter ſtare, trophæa putas?
Bella fugis (ſcimus) quondam violenter amata:
Perque aras Chriſti te novus ardor agit.
Hoc ego nec carpo, damno minùs: altera bello
Præmia, deque aris altera captat honos.
Si tamen exoſo bellum, diſcedere caſtris
Mens tibi nunc melior, conſiliumque fuit:
Debueras alto ſacrata ad culmina niſu
Tendere: & huc magnis nempe vocaris avis.
Pro quoties! (memini) ſuſpiria 2. GARCIA duxit,
Qui mihi iure ſocer, qui tibi frater erat.

1. *Pampelonæ arcem, quam Pompeiopolim quidam vocant regni Navarræ primàriam, contra Gallorum inſultum egregiè defendit Ignatius.*

2. *Garcias de Loiola Ignatii frater natu maximus, Bertrandi parens: qui Ignatium ne domo paterna excederet, impedire conatus eſt.*

Quid rerum moliris, ait germane' paternos
Quid cupis ignotus deserüisse lares?
Parce, precor domui, tibi quæ decora alta ministrat,
Et iubet ex merito scire quid ista velint.
LOIOLIDUM sanguis Regi devotus 3. Ibero,
Edidicit nunquam sordida castra sequi.
Nequidquam excurris: fallendo ponis amictum,
Ignotusque novæ signa cohortis agis.
Iamque sacer miles Serratæ ad Virginis ædem
In nova devotas porrigis arma manus.
Cannaba vestis erant, præcincti funibus artus:
Inque manu peditis fraxina virga fuit.
Inde gradu propero Manresæ fusus in vrbem
Diceris: ille tibi quàm locus asper erit.
Hei mihi! qualis eras quantùm diversus ab illo
Cùm premeret Gallos marte favente duces.
Cæsaries spisso stabat neglecta capillo:
Sordidaque oblongo creverat vngue manus,
Terra torus vel stramen erat: scutella, supellex,
Fercula, quæsiti voce precante cibi.
Quin etiam parco fregisse severior esu
Diceris, & longâ pallida membra siti.
Adde flagris laceros artus, tabôque fluentes,
Membraque vulneribus sanguinolenta suis.
Cætera quid memorem? potuit fregisse gigantem
Pœna: tibi levior, quod malè credis, erit?
Scilicet hinc stomachi dolor ingruit: inde petuntur
Semina morborum, qui tibi cunque nocent.
Sed

3. *Iberus fluvius Hispaniæ apud Cantabros, ita dictus, teste Eustachio, à Rege eiusdem nominis.*

Sed bene consuluit LOIOLÆ mitis Ibero
Gallia: non iras semper & arma movet,
Mitteris huc, patrii vocat indulgentia cœli:
Desine iam varias morbidus ire vias.
Hoc socii suadent, suadent oracula Divûm:
Hoc & iter Dius carpere iussit Amor.
Iamque propinquabas 4. Baioni ad littora portus
Quâ iacet opposito Cantabris ora solo.
Iuit in occursum coniux comitante caterva:
Nil tamen occursu præstitit ille suo.
Scilicet oblistis, prece inexorabilis vlla
Infirmosque subis squallida tecta lares.
Quid facis? heu! morbi quid, Patrue semina nutris?
Ille locus sanis pestifer esse solet.
Huc (rogo) flecte gradum, patriosque revise penates:
Et tibi si non vis parcere, parce tuis.
Quid (nisi te reddas) tellus iactabit Ibera?
Quid de te poterit patria tota loqui?
Hinc LOIOLÆ nigrescent stemmata ceræ,
Turpiter admissâ deteriora notâ.
Dicetur: domus Heroas quæ præbuit olim:
Heu! modò quàm viles sustinet illa viros!
Quod si vana queror; si certò currere fixum est,
Quâque subis rapido subdere calcar equo.
Patrue, pone modum: peregrinos excute sensus:
Hic certè, quo sis officiosus, habes.
Sunt mihi, quos fudi partu felice gemelli
LOIOLIDÆ: gemini, qui doceantur, erunt.
Quàm mihi dulcis erit certaminis huius imago,
Cui stimulum pugnæ parva tabella dabit.

4. *Baiona, quam veteres Aquas Augustas appellabant. Galliæ portus, Cantabriæ, quæ Ignatii patriâ erat, adiacens*

Ille Dei præcepta decem numerabit: & ille
Crimina ſepteno iure timenda ſono.
Si tibi tantus amor pueris prodeſſe: docendi
Cur iſtâ careat parvulus arte nepos?
Quin etiam quando patientis imagine Chriſti
Tangere, Davidica nuper ab vrbe redux.
Nos dabimus quod ames: & mœſtâ picta tabellâ,
Septenis flebunt patria ſepta locis.
Te duce viſemus poſitas ex ordine ſedes;
Combibet & lacrymas quælibet ara meas.
Qualis ero, Patrui quando narrantis ab ore
Pendebo, & mecum tota paterna domus!
Monſtrabis Chriſtiq; vias, colleſque propinquos,
Et loca poſtremo preſſa, repreſſa pede.
Hic oleis quà ſurgit apex, orare ſolebat:
Dormiit hic Simon: proditor inde ruit.
Proximus hinc vrbi ſtat Golgotha collis: in illo
Ah meus, ô! (dices) colle pependit Amor.
Siccine, pro facinus! CHRISTUS rapiatur ad a-
Hoſtia pro noxis concidat iſta meis? (ram?
Parce precor, IESV: peccavit LOIOLA: crimen
Sed tua vox iſto diluit omne loco.
Forſitan adjicies, quod Olivi vertice montis
Videris impreſſos, dum ſubit aſtra, pedes.
Quin etiam quâ ſtent dextræ veſtigia plantæ,
Spectet vt occiduas planta ſiniſtra plagas.
Quid mihi tunc animi? quæ non incendia voluã,
Si mihi nunc lacrymas hæc quoque ſcripta movent.
Plurima fortè premes: nec enim quid feceris iſthic,
Nec mihi quæ paſſus dura, referre voles.

Sed

Sed bene quod, dubio quãtũvis murmure, ferris
5. Exceptus durâ, ficut ab hoste, manu.
Attamen vt levius sentires verbera, CHRISTVS
Anteibat rigidæ duxque comesque viæ.
Hoc mihi (si nescis) facit indulgentia IESV:
Cùm reditum instrueres, ipse præibat iter.
Adde quod & Solymis quæ te ratis extulit oris,
Quæ caperet portum 6. de tribus vna fuit,
Altera vesano subsidit naufraga ponto:
Altera arenosis cessit adacta vadis.
Nil agimus? frustráne mihi sic militet æther?
Militet & læva turbidus Auster aquâ?
Flecte animum, modicumque indulge, Patrue, nepti;
Cur modò vis patriâ cedere rursus humo?
Italiam denos tecum pepigisse sodales
Asseris: hæc voti meta terenda tui.
Quò ruis? obstat hyems: gravidos nive conspice montes,
Et iuga securo non adeunda pede.
Huc quoties oculos verto (vertoque frequenter)
Frigidior glacie serpit in ossa pavor.
Quid? quod, vt & pelagus moneat retinacula solui;
Multa tamen 7 Medius tristia pontus habet.
Incubat 8. & classis metuendo Turcica ponto:
Heu! quantùm sævi turbinis illa vehit!

6. In reditu parvâ & malè compactâ navi vectus Hispaniæ portum attigit: duabus aliis, à quibus repulsus fuerat, naufragium passis.
7. Mare Mediterraneum per quod navigans non sine periculo Venetias appulit.
8. Æuobardus Turca ea loca, & littorum fluxus piraticâ infestabat.

Vtque tibi nil Turca mali moveatúe, feratúe :
  Sæpe illic versas concitat Eurus aquas.
Palleo, 9 venturi quamvis ignara pericli :
  Pœnèque cum dextra charta tremente tremit.
Quidquid id est, (precor ô!) si stat victoria tecũ;
  I quò te Dius, Patrue, ducit Amor.
Agnosco, crimenque fuit voluisse morari,
  Propositum duce quod Numine carpis iter.
Da veniam fassæ; quamvis & cætera desint,
  Fas mihi sit saltem dicere voce, Vale.
Interea mecum conjux, prolesque gemella.
  Sospes vt evadas, vt valeasque rogant.
Atque vtinam patriis quoniam te sedibus effers,
  Dicaris toto Maximus orbe Pater.

9. *Tempestate coortâ, lacera & quassatâ fluctibus navi difficulter evadit Ignatius.*

EPISTO-

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

CVm Franciſcus Xaverius Lutetiæ Pariſiorum operam ſtudiis daret, & ſcientiarum, ſimul tuendæ apud æquales Nobilitatis avidus, extra modum ſumptu prodiret: factum eſt, vt eius parens Ioãnes Iaſſus; quem ex Maria Xaveria nobiliſsima coniuge poſtremum liberorum tulerat, de eo ab ſtudiis revocando apud ſe ſtatuerit. Quod vbi primùm Xaverii ſoror, quam Xaveriadem hic vocamus (agebat autem ea Gandiæ ſacrarum Virginum Antiſtitam, quas ob ſummam vitæ aſperitatem Diſcalceatas appellant) intellexiſſet: ad patrem Iaſſum hanc Epiſtolam ſcribit. In qua illum operosè monet, obſecratque vt Franciſco fratri Pariſiis ingenium maximis ſcientiæ artibus excolenti, affatim omnia ſuppeditet. Quippè edocta divinitus (nam & ob eximiæ ſanctimoniæ meritum prophetico ſpiritu à Deo donata erat) illum Ignatio duce, Novi orbis vltimique Orientis Apoſtolum deſtinatum: vbi per occaſionem, de iis quæ Xaverius poſtmodò in India acturus paſſuruſque erat præcipua quædam ediſſerit. Movere hæc, ſimul quam de filiæ ſanctitate conceperat opinio, parentis animum impulitque vt nulla in re Franciſco in ſtudiis agenti deeſſet, vti nec defuit. Extant hæ litteræ in Xaverio Caſtello, vtrique vaticinationis teſtes, quam ſuo tempore comprobavit eventus: Turſelinus lib. 1. vitæ, cap. 2. Orlandinus Hiſt. Societatis lib. 1

Xaverias Iasso Parenti.



SYMBOLUM

Ut antliæ aqua, eò largiùs confluit, quò effunditur: sic & liberalitas *Iassi* Parentis in *Franciscum* filium, olim familiæ, atque orbi ingentem fructum datura est: siquidem ab his *Xaverij* studiis salus Iaponum, Indorumque pendebat: Iure igitur hîc apponas quod, antliæ:
Semper maior erit, quantùm se effuderit vnda.

Xaveria

Xaverias Iaſſo Parenti.

QVæ tibî nunc Genitor reddetur Epiſtola, clauſtris
Prodijt; & licita prodijt illa viâ,
Ire coëgit Amor, fratriſq; hominumq; Deique,
Tu natæ, frater vota ſororis habet.
Noſtin'? heu! XAVERIADOS mihi nomina quondam
Exciderint animo forſitan illa tuo?
Perlege, IASSE, parens: & amico perlege vultu
Quod tibi fratris amans filia mittit opus.
Fama 1. Lutetiacâ nuper properavit ab vrbe,
Fauſta quidem, at votis durior illa tuis.
Xaverius Sophiæ per amata cacumina tendit:
At patrias vnâ largiùs haurit opes.
Nunc petit ex aliis alias: quò voluimur? inquis
Pauperies iſtâ ſæpius arte ſubit.
Non ego tot Sophiā nummis, opibuſq; requiro:
Nec dubito doctus, dives an eſſe velim.
Stat iuvenē revocare: patriſq; hæc littera ſenſus
Perferat, & modicâ tranſvolet ille morâ.
O dolor! ô quid agis? ceſſa pater optime: quātæ
Pauca per has neſcis damna petantur opes!
Fòrſitan hîc ſummos Cleri mediteris honores,
Quodque vehit ſecum ſacra tiara decus,
Falleris, ah! ſeſe frater maioribus aptat:
Nuntius ille novi, victor & orbis erit.

Neue

1. *Lutetia Pariſiorum vrbs celeberrima, vbi ſtudijs vacabat Xaverius.*

Néve putes tantùm vanæ præconia vocis:
  Accipe, ſed tanquam vaticinantis opus.
Tranſierat (memini) ter ſenis meſſibus æſtas;
  Et ter ſena novo fluxerat uva lacu
Annorum fratri fuit hæc menſura: colorque,
  Vt ſpecies mentis, candidus oris erat.
Veſte nova, ſed quæ corpuſq; animumq; deceret,
  Si quis quid Gallis mandat, abimus, ait.
Quin etiã clauſtris tum proximus, vltima frater
  Adiecit verbis hæc quoque verba meis.
Chara ſoror, fratris ſi quæ tibi cura ſuperſit,
  Si remanet noſtri non abiturus amor.
In mea fer lacrymas conamina, vota, preceſque:
  His Germana tibi ſæpe juvandus ero.
Dixerat hæc abiens: abeuntem proſequor ore:
  Excipit hinc fuſas ſæpius ara preces.
Hic egó cùm ſtarem nuper ſub ſolis obortum,
  Cùm pallent primo ſidera pulſa die;
Altaque conceptis ſine corpore gaudia formis,
  Mens ſibi fingendo carperet intus iter;
Neſcio quæ viſa eſt dubiæ ſub imagine lucis,
  Extendi in longas area lata vias:
Pro ſegete in campis circum creſcebat 2. oriza,
  Plurimaque ignoti ſtipitis arbor erat:
Tecta levi cultu: tectiſque ſimillima templa:
  Horrida per fumos hæc quoque ſacta ſuos.
Hic 3 Pagodum ſedes, 4. Fotoci 5. Xacæ, 6. Amideque:
  Nomina ſunt ipſo barbariora loco.

Plurima

2. *Oriza ſatio & vſus apud Indos pro frumento eſt.*
3. 4. 5. 6. *Nomina Idolorum, quæ apud Indos & Iapones colebantur.*

Plurima gens illic circùm fuligine tincta,
Ad fuligineos tendere visa lacus.
Vt vidi, indolui : tacitoque in pectore dixi :
Turba virûm lacrymas exigit illa meas.
Exigit illa preces : cur sic ruit acta sub vmbras?
Vt miseros nossem, Iapon & Indus erant.
Hæc ego dum meditor : sensim fugere tenebræ,
Nox quoque suffuso cedere visa die.
Lucis in accessu (liceat mihi visa referre)
XAVERIVS primo limine frater erat.
Hinc tranare amnes, latisque excurrere campis,
Cœpit & in varias concitus ire vias.
Illinc & pueros tinnitu cogere 7. nolæ
Cœpit, & insolitas spargere fontis aquas.
Nunc aras raptare solo, Pagodasque cremare,
Cæteraque aggestis lignea signa focis.
Et (bene si memini) Franciscum tota sonabat
India ; cum nuptis, cum senibusque puer.
Hæc vbi : Germano votis gratamur, & illuc
Moturo placidas esse precamur aquas,
Quidquid id est, longo cócurritur æquore, multa
Quæque feras (dixi) tristia, frater habes.
Nec retuli falsò : curvo te corpore vidi,
Sarcina 8. cui dorso decolor Indus erat.
Qualis eras, Germane, ista sub mole, ferebas,
(Si bene conijcio) teque ferebat 9. onus.

Tela;

7. *Xaverius per plateas pueros campanulâ ad Catechismum cogebat*

8. *Sæpe sibi visus est per quietem morionem Indum suis gestare humeris.*

9. *Fit allusio ad idictum D. Aug. lib. 3. Confess. cap. 9.* amor meus pondus meum: eò feror, quocumque feror.

Tela, arcum, pharetrãq; gerit niger iste Cupido:
Postmodò sed lotus candidus alter erit.
Te 10. quoque cõspexi diffracta puppe per vndas
Iactantem tumido brachia lenta mari.
Nec tibi caussa metus gens 11. Maurica, spargere quamvis
Dicitur infidâ dira venena manu.
Heu! 12. Badagas timeo; gens est feralis ab arcu:
Sed fugiet iussum missa sagitta locum
Sæpe sub ambustâ sudantem vidimus orâ:
Sæpe 13. gelu nudos diriguisse pedes.
Vtque sit hoc verum, Genitor: prædicere casus
Attinet, & certà dicta probare notâ.
Pendula 14. Xaverio Christi stat lignea castro
Effigies patriæ laus pietasque domus.
Sæpius hac coram Franciscus voce manuq;
Dicitur & flexo vota tulisse genu.
Crede mihi plus est, quâm quod videatur imago:
Mistaq; cum Christo symbola frater habet.
Nam quoties medijs frater cruciabitur Indis,
Et Christi toties perpluet ora liquor.
Tempora fac numeres: quoties sudarit imago;
XAVERII toties signa dolentis erunt.
Plura quid attexo? geminus quantumlibet orbis,
Non tantùm, vt tantus condoceatur, habet.

Damna

10. *Ad Molucas Insulas naufragium patitur.*
11. *Barbaros atque efferatos Mauricensium animos excolit spreto veneni ac vitæ periculo.*
12. *Bul:us Madagarum sagittis appetitus, per prodigium illæsus servatur.*
13. *Itinere Meacensi in Iaponia.*
14. *Crucifixi in Arce Xaveriana effigies prodigiosè sudat quoties Xaverius in India laboribus solito ampliùs exerceretur.*

Damna quid ergo tuæ genitor, vereare crumenæ,
Mitte, precor; missæ sic bene dantur opes.
Nec tibi sola isto venio pro munere supplex:
En iacet ante tuos India tota pedes.
Consule 15 dilutis quid turba minutula noxis
Mussitet: hic nobis erudiendus, ait.
Sic faveant superi! sic oret Iapon & Indus,
Adiungant votis & sua vota meis
Sic bene Franciscus totum circùm ambiat orbem
Nec 16. (*Satis est*) genitor proferat ille *Satis*.
Interea frater caræ memor esto sororis
Extremi quamvis finibus orbis agas.
Ibis: nec patrios, vereor, germane penates;
Nec matrem studium visere forsan erit.
Quidquid erit; genitor, magnæ præconia famæ,
Totus & exiguo pendet ab ære Iapon.
Incipe sic sacras titulis augere tabellas,
Inque fidem versus quatuor vna ferat:
XAVERIVS victor, victorem LOIOLA fecit:
IASSÆVS que parens, Xaveriasque soror,
LOIOLIDES pugilem castris adscripsit IESV:
Ille dedit nummos, addit illa preces.

15. *Parvuli, quos baptismo lustratos ad cælum transmisit.*
16. *Satis est Domine, satis est: ita subinde ob cælestium delitiarum abundantiam exclamare solitus Xaverius.*
17. *Indiam petens, ne matrem quidem salutare dignatus est quamvis non longè à paternis ædibus iter caperet.*

EPISTO-

EPISTOLA TERTIA.

ARGUMENTUM.

FRanciscus Borgia ex Marchione Lombasij Dux Gandiæ Quartus, inito cum Leonora Castria, illustrissima ex Lusitanorum genere fœmina, conjugio: multa prole & honoribus apud Carolum Quintum Imperatorem auctus est. Sed cùm ad funus Isabellæ Imperatricis, cuius Toleto Granatam transvehendi cura commissa erat, divinitus tactus jamque rerum humanarum & gloriæ fluxæ pertæsus, nova Deo serviendi consilia captaret: ferunt à Matertera, quæ ad Cœnobium D. Claræ Gandiensis commigraverat, ibiq; Antistitam gerebat, per Epistolam commonitum, ut constanter ageret. Et verò, ne incassum hæc movisse pleriq; existimarent constat eam divina revelatione atque ostento didicisse, quidquid à Francisco Duce ac Nepote, ad Cæsarei cadaveris conspectum gestum fuit. Quod ipsum hâc epistolâ significat; in qua & eum multis rationibus cohortatur ad propositi constantiam: simul prædicens fore, ut Societati Iesu, cujus Ignatius auctor ac parens erat, nomen adjiceret, multaq; ac præclara in eo ordine pro Dei gloria, & proximorum salute aggrederetur. Attingit autem & Aviæ obitum, quæ pariter intra Cœnobij Gandiensis claustra Mariæ Gabrielæ nomen asciverat: cuius affectu monitisque salutaribus ipsemet Borgia multo maximè profecisse sæpe testa-

tus

tus est. Matertera nomen, quod ante Isabella fuerat, Francisca de Iesu concessit: quo & hic uti- mur. Neque verò eorum, quæ supra de Francisco attigi, eventus fefellit. Quippe in Societatem primò, indeque ad summum in ea imperium & Præfecturam assumptus, Præpositi Generalis Tertij titulum, præclaris editis facinoribus implevit. Accessit Sanctimoniæ non vulgaris fama, quæ etiam miraculis inclaruit: quo factum est, vt ab Vrbano VIII. Pont. Max. Beatorum numero solemni ritu adscriptus sit anno 1624, & exinde â Clemente X. in sanctorum numerum relatus anno 1670. Ribadeneira lib. 1. vitæ eius cap. 7. Orlandinus Hist. Societatis lib. 1.



Fran-

Francisca de Iesu, Borgiæ.


19.

SYMBOLVM.

Formoſitas oris, quam multi miſerè depereunt, nihil aliud quàm larva eſt. Hanc in Iſabellæ Imperatricis funere agnoſcit *Borgia*, ingenti ſuo bono. Quippe hinc doctus veriſsimum etiam hîc eſſe, quod ad laruæ naturam ſpectat.

Altera proponit conſpectibus, altera celat.

Fran-

Franciſca de Ieſu, Borgiæ.

GAndia quà ſacras clauſtris fovet alba colũ.
Hoc cõſanguinei mittit amoris opus.(bas,
Perlegis, inque tuos ſucceſsit Epiſtola vultus,
Perlege: quod cupias,quodq́ue ſequaris,habes
Scilicet ipſa tuam didici Matertera mentem,
Cùm tibi Cæſarei funeris horror erat.
Vera loquor paucíſque tibi perſcribimus acta,
Inſolitus quando pectora flexit Amor.
Lux 1, fera Cæſareis ſurrepſerat orta triumphis
Formoſum tenebris implicitura caput.
Morbus adeſt(dolor,ô!)caræ inſidiator 2 Eliſæ:
Ille tibi, Cæſar,quàm ferus hoſtis erit
Nec mora graſſatur: torrentur febribus artus,
Regiaque extremus corpora languor habet.
Ergo vbi ſuccubuit: gemebundo pectore Cæſar
3 LOMBASIDE, coniux optima vixit! ait.
Tu funus curato celer, patrioque ſepulchro
Defunctæ carum coniugis effer onus.
Pergis: & vt primum 4 Granatæ conſtitit oris
Claudendum aggeſtâ triſte cadaver humo.
Iamq; 5. fides petitur,corpuſq; exangue pateſcit:
Exuvias caræ vix bene noſcis Heræ.

Scilicet

1. Toleti, Hiſpania vrbe in Tarraconenſi tractu, vbi per id temporis comitia Regia, non ſine plauſu ac lætitia ab Imperatore agitabantur 2. Eliſa idem ac Iſabella, quod nomen erat Imperatricis, 3 Lombaſides, à Lombaſio Marchionatu, à quo Borgia primam appellationem ſortitus eſt. 4, Granata vrbs in Hiſpania eiuſdem Regni Metropolis, nec non Regum ſepulcho nobilis 5. Iuramentum ſolemne, quo cadaveris Regij fides adſtrueretur.

Scilicet ora priùs nivibus certantia primis,
Labraque purpureas vincere nata rosas,
Exedit livor, tabóque liquentia putrent:
Nec remanet formæ, qui fuit ante decor.
Quid facias, FRANCISCE? stupes: lacrymisq; coortis
Diceris incœpto ter siluisse sono,
Postque moræ modicum: quid enim iurabimus, inquis:
Abstulit hæc sensus tristis imago meos.
Quidquid id est Isabella fuit dolor obruit ora:
Et tua vix lacrymas lumina iussa tenent.
Mox vbi fas, actæ post Iusta sacerrima pompæ,
Interiora domus & sine teste, subis.
Ipsa ego te (credat quisquã?) te subsequor isthuc:
Mente tamen, vultus non aditura tuos.
Omnia clarescunt: nullas fovet angulus vmbras:
Et tua (crede) mihi pectora nuda patent.
Mensa fuit, stabatque Dei pendentis imago
Tristis, & obtusis sangu nolenta genis.
Protinus hac coram labiisque, oculisque solutis:
Diceris in tales prosiluisse sonos.
Quid facimus pie Christe cui placuisse laboro.
Quæ modo servitiis meta modusque meis?
Ergo etiam magnis pereunt de Regibus orti,
Summa nec Austriacos fulta verentur avos!
Heu! ego te qualem vidi Regina, decore
Quæ priùs illicium totius orbis eras?
Nunc vbi frons, oculi, facies? vbi lactea cervix
Binàque purpureis picta labella rosis,
Quò decor omnis ijt, spectavi corpus: in illo
Qui fuit, ah! vultus non erat ille tuus.

Ergo

Ergo ſic morimur? ſic Regum purpura livet,
Inque redit putrem Cæſaris vxor humum!
Serviimus quondam: ſed & hac peccavimus arte,
Cæſaribus potior CHRISTVS habendus erat
Parce precor, pie CHRISTE, arctis quem ſtringimus vlnis:
Pectoreque affuſus quod modò ſtringit Amor
Parce precor, binoſq; oculis ſine currere fontes;
Sæpe per has ingens culpa lavatur aquas,
Pœnitet admiſsi: tuus ô tuus optime Chriſte
FRANCISCVS ſemper, BORGIA ſemper erit.
Talia dicebas: præſens quoque mente precabar
Et tua ſum votis vota ſecuta meis.
Eloquar? an ſileam? nec ſcribere cuncta licebit
Inque tua aſpectus flectere vota meos,
Eloquar: vt tacito demiſſa Modeſtia vultu
Abnuat, indulgens ſcribere cogit Amor.
Dum ſic perfus lacrymis, gemitùque iaceres,
Et premeres poſito frigida ſaxa genu
Adſtitit in rubea ſpectãdus imagine CHRISTUS,
Et tibi porrectam tradidit ille manum.
Quin etiam oſtentans plures ſua caſtra ſecutos:
BORGIA, pone metum, tuque ſequeris, ait.
Quid te mors cruciat? quid caræ funus Eliſæ?
6. Vivit, & vltores tranſiit illa rogos.
Dixerat: atque oculis blandè nictantibus arſit
Et novus à CHRISTO fluxit in ora rubor.
Ergo agedum, FRANCISCE, animũ maioribus (apta:
Loiolides facti nobilis auctor erit.

Ille

6. *Cognovit Franciſci Matertera Imperatricis animam expiatoriis ignibus celeriter ereptam, ad cœlum evolaſſe.*

Ille reget, flectetque animos, modicóque 7 libello
Erudiet promptas ad nova bella manus.
Neúe reformides Veneris perrumpere castra,
Castaque seposito bella movere toro.
Concedet 8. Leonora tibi, quàm diligis, vxor:
Quin etiam fatis officiosa suis.
Flebis, & extinctum lacrymis dignabere corpus:
Et mortis, dices, huic ego caussa fui.
Sed volet hoc pietas, & qui tibi militat ardor:
Invidiam noxæ detrahet ille tuæ.
Quid facimus? bellóne pigrum Matertera flectit?
An contra admisso tergora pulsat equo.
Vt fuerit, faciam: dùm CHRISTO prælia cedant
Et sacer egregio Matre triumphet Amor.
Care nepos, propiorque mihi iam 9. nomine fac-
I, bone, quò Iesu te pius ignis agit. (tus,
Mente licet Stygios verseris sæpe per ignes
10 flamma rogi flammas aggeret illa tuas.
Hæc mea sunt sed & hæc 11 aviæ pia vota fuere
Quæ tibi præceptrix quæ tibi mater erat.
Ah! quoties monitis annos tibi sedula finxit,
Seu puer, aut iuvenis, virque, paterque fores.
Nec siluit moriens: vda sic fusus in herba
Fluminis ad ripam concinit albus olor.

Ergo

7. Libello exercitiorum, cuius ipsemet Borgia approbationem à Paulo III. Pontifice Maximo impetravit anno 1548.
8. Leonora Borgiæ coniux fato eripitur, quo ipse in Religione Deo servire poßit.
9. Quippe quæ Isabellæ nomen Franciscæ de Iesu cōm[ut]taverat
10. B. Borgia frequens erat in meditatione inferni: aiebatq; se ad istum rogum, amoris in se divini ignem accendere.
11. Maria Henriquez, quæ exinde Cœnobio itidem D. Claræ Gādiensis adscripta, Mariæ Gabrielæ cognomētū sibi . fe vit

Ergò age, ſume animos: magni patet area belli:
In hac non timidos in nova caſtra pedes.
Si neſcis iſto creſcit quoque laurus in horto
Vinctura emeritas, nec ſine luce, comas.
Neu malà ſim vates: quod dat tibi Gãdia nomẽ
Vincetur meritis (& ſinet illa) tuis.
Illa Ducem Quartũ te reddidit ordine 12. Caſtris
Loiolidùm tu Dux, Tertius alter eris.

12. *Fuit enim quartus Gandiæ Dux, tertius item Generalis Præpoſitus Societatis IESV.*



G EPISTO-

EPIST. IV.

ARGUMENTUM.

Habet Belgium quoque, quod de hoc Societatis primo sæculo glorietur: quippe & illud statim à principio illustravit Petrus Canisius, vir doctrinæ iuxta ac sanctimoniæ laude percelebris. Natus is fuit Noviomagi Provinciæ Gueldriæ, quam olim Sicambriam dictam volunt, primaria civitate: anno salutis humanæ 1521. eo scilicet, quo B. Ignatius de Loiola Societatis IESV parens, ad severiorem vitam conversus, militiæ sacræ relictâ profanâ sese tradidit: quam & Canisius tertio Confirmati Ordinis ingressus est. Puer matre orbatus cui Ægydiæ Hovingæ nomen erat, in Materteræ (quam abs sorore Honvingam hîc appello) curam concessit. Et verò hæc multis precibus & consiliis sæpe eum iuvit: quæ compendio per Epistolam hîc exhibemus in qua Canisio nepoti de statu vitæ cousilium agitanti necnon inter illecebras Noviomagi apud suos, ubi tunc erat primam intra iuventam, dubio, stimulum addit, iubetq; bono esse animo: prædicens fore, ut brevi in novum quemdam Sacerdotum Ordinem assumatur. Operæ pretium mihi videtur maioris fidei ergò ea verba hîc addere, quibus illa, etiam ante Societatis iis in partibus auditũ nomen, divino Spiritu illustrata cum nepote contendit. Tu, inquit, fili, cooptaberis in novum quendam Sacerdo-

cerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad reformationem eius, ac multorum salutem parat Deus. Ego eos per visum vidi, & te ad eos adiungi. Graves erunt viri, docti, modesti, Deo pleni & animarum caritate præditi. Bono igitur fac sis animo, & spe huiuscemodi te sustenta. Nam brevi potieris hoc dono. *Quæsitis ergo ad hac rationibus, imò & eiusdem Canisii primæ pueritiæ gestis, simul postea gerendis adhortatur, ut iis viris Christo vacaturus se adiungat: quod & fecit captato P. Fabri colloquio, qui Moguntiæ tunc agebat.* Orlandinus Hist. Societatis, lib. 4. Sacchnius in eius vita, lib. 1.

Honovinga Canisio.



SYMBOLVM.

Per canem, vigilantiam ac fidelitatem veteres Ægyptii ſignificabant: interdum quoque impudentiam, iuxta illud Homeri: κυνὸς ὄμματ'. ἔχων. Tales & hi luridi ex Hæretico grege, quos *Caniſius* invadit, & fugat. Quàm verum de illo, quod de cane fideli!

Damnum latratibus arcet.

Honovinga Canisio.

QVà propè te 1. Vahalis, quà me propè 2. Rhenus oberrat.
ScVicinasque trahunt alter & alter aquas.
ribitur hæc reddenda tibi mox littera: quamvis
Forsan & à lacrymis humida facta meis.
Scilicet audieram dubium tibi pectoris æstum:
Æstus & in lacrymas fluxerat ille meas.
Attamen apposito chartam siccavimus igni,
Quique meo flagrat pectore iuvit Amor.
Scribe, ait, HONOVINGA: tibi qui morte parentis
Transiit in curas, & tua iussa puer;
Nunc iuvenis vario, dubióque CANISIVS æstu
Nutat, vt incerto puppis itura mari.
Fac constet: nuperque tibi quæ visa fuêre,
Deferat hæc promptâ scripta tabella notâ.
Protinus arripio calamū: mihi proximus adstat,
Et face scribentem dirigit ales Amor.
Tempus erat fessos quo primum somnus in artus
Serpit: & accensis ignibus astra micant.
Adstabam clauso, mecumque relicta cubili,
Mox vespertinas compositura preces.
Cùm subito coram visa est descendere nubes,
Candidus & nubi prævius Ales erat,
In manibus frondes oleæ laurique virentis
Pacificum scires quod meditatur opus.

1. *Vahalis fluvius Nouiomagum alluens Canisii patriam.*
2. *Rhenus fluvius, ad cuius ripam Arnhemium adiacet Geldriæ oppidum, vbi tum Honovinga Canisii, Matertera habitabat, secundo abs* Noutomago *lapide.*

Hic vbi vibratâ nebulam discussit olivâ:
Obstupui subitos ora tulisse viros.
Insolita his facies, attonsi fronte capilli:
Velabant imos pallia nigra pedes.
Quemque vocent aliæ vultum rigidumque trucemque:
Iudice me mixta sorte modestus erat.
In dextra calami (calamos hastilia tractant)
Iamque parant scriptis bella movere suis.
Cuique sacrum IESV rutilabat pectore nomen:
Igniti species pectoris illa fuit.
O! quantum gens illa sacris operabitur aris;
Cultoresque novos officiosa dabit!
His fœdæ fugient sub tartara nigra phalanges,
Virginitasque albis læta redibit equis.
Seu calamo fuerint, agitandáve prælia voce:
Et calami & doctæ prælia vocis erunt.
Quid? quod nostra istis vincet Germania castris,
Colla gemens duro succubuisse iugo?
Hæc ego dum specto: subitòque in lumine vidi
Ad primos Mystæ procubuisse pedes.
Primus erat turmâ (quantum reminiscor) in ista
Nomine, Theiologo nec minus arte, 3. Faber.
Hunc petis amplexu pullaque in veste sodalis
Pullatos auges ad nova bella viros.
Ergo age, perge nepos istis te iungere castris,
Devotaque move fortia bella manu.
Si bene coniicio magnæ præludia pugnæ,
Et faciles aditus prima iuventa dedit.

Scilicet

3. *Petrus Faber primus Ignatii socius, qui tum per Germaniam animorum saluti vacabat: quem Moguntiæ agentem, primùm Canisius adiit, vt in argumento dictum est.*

Scilicet annorum prima incunabula Christus
 Surripuit, versis ad pia facta iocis.
Nil tibi cum nucibus; longæ nec arundinis vsu:
 Nec teretes cura est exagitare trochos,
Privatas pictis aras decorare tabellis,
 Sæpius & Mystam fingere lusus erat.
Parvula sacra facis, dicisque precantia verba:
 Accumulant iussas turba pusilla preces.
Et modò voce puer, pueros modò fonte piabas:
 Ista rudimenti signa fuere tui.
Quid? quod & in teneros sævisti funibus artus,
 Membraque portandas edidicere cruces?
Cætera cur sileam? nec enim meminisse nocebit
 Patrasti parvus qualiacumque puer.
Sæpe, orbi quando ieiunia verna redibant,
 Cùm furit 4 Ogygio concita turba Deo:
Cùm passim turpesque ioci, madidæque popinæ,
 Et resonant fœdis compita fracta sonis.
Tunc ego te didici solis radicibus vsum,
 Oraque gustato continuisse mero.
Increpuit mater: quid agis; quid sævior, inquit
 Dura, CANISIADE, nec tua bella moves?
Hæc permitte viris, quibus est robustior ætas:
 Ossa tibi puri cætera lactis habes.
Protinus illacrymans, scelus ah! scelus, optima
 mater,
 (Si nescis) cæcos ducit in arma viros.
Arma illis Bacchus positis ferventia mensis:
 Arma illis Paphiæ tela facésque deæ.

4 *Ogygius Bacchus dictus est ab Ovidio, & temulentiæ Deus à Poetis habitus.*

Ipse ego non plorem? dapibus neque parciùs vtar?
Nec mihi sit fuso gratior vnda mero?
Da veniam, mater: licitæ patet area pugnæ:
Hîc puer, & miles, victor & esse potest.
Talis eras: quid nunc dubio certamine nutas,
Si pridem est puero laurea parta tibi?
Scimus: 5. blandus Hymen tacitis tibi nictat ocellis:
Propositoque 6. Themis te trahit alba foro.
Crede mihi, latet hac fallacia sæpe sub herba,
Sæpe per & placidas saxa petuntur aquas
Ergo age, quære viros: illis te iunge Sodalem;
Materiem qua sis obsequiosus habes.
Nec malè vaticinor: totos sævire per agros,
Fama est, & rabidas ire, redire feras.
Infremuere lupi circùm præsepia: 7. Rhenus
Audiit, & gelidis palluit 8. Ister aquis.
Quid cessas? Stygias vrge latratibus vmbras:
Inque fidem veram 9. Nominis adde notam.
Vtque reor, facies: istud Matertera poscit:
Hæc in te titulum, iuráque matris habet.
Illa mihi moriens, soror ô! soror optima, dixit,
Abstrahor: applicita fœdera iunge manu.

Quam.

5. Noviomagum reversus ad nuptias contrahendas sollicitatur: propositâ Iuris Civilis, in quo parens eius Iacobus Canisius excelluerat, agitatione.
6. Themis Iustitiæ Præses habita; nam teste Festo Θέμις *idem quod fas.* 7. *Rhenus Germaniæ fluvius.*
8. *Ister sive Danubius amnis celebratissimus Germaniam longo tractu, Austriamq; alluens.*
9. *Canisius iuxta nominis Etymon & gesta,* Canis Austriacus *ab Hæreticis dictus, Sacchinus in vita lib. 1.*

Quem (rogo) nunc parvum patriq́ue tibiq́ue nepotem
Linquimus, in curas transeat ille tuas.
Scilicet ille tibi, castæ, Germana, MARIÆ
In castas artes erudiendus erit.
Annuimus voto, lacrymisq́ue per ora profusis,
Nil illi potui dicere, præter, erit,
Ex hinc vota frequens, & verba frequentia fudi,
Et tibi quod mater debuit esse, fui.
Cætera dent Superi: pullo sic nubis amictu
10. Virginei castas corporis abde nives.
Scribere plura libet: tibi sed scribenda relinquo;
Hic calamo trames sæpe terendus erit.
Cumq́ue tibi tardè supremam neverit horam,
Stamine nec pullo, de tribus vna soror.
Forsitan hoc aliquis signabit marmora versu,
Accola quem Rheni, posteritasq́ue leget.
Hâc iacet exanimis, recubatq́; CANISIVS vrnâ:
Quem stupuit gelidis Rhenus & Ister aquis:
Depositos cineres lugens Germania servat,
Ingenium libri: spiritus astra tenet.

10. *Perpetuam, atque illibatam virginitatem coluit.*

EPISTOLA. V.

ARGUMENTUM.

STANISLAUS KOSTKA Illustri apud Polonos genere oriundus, cùm adolescens in Societatem IESV admissus esset primo ipso tyrocinio tanto animi sensu, æstuque in divina ferri cœpit, ut sæpe sæpius inter orandum mad facta lintea, æstuanti pectori applicanda forent. Porrò crescente in dies amoris incendio idque impatientius iam ferenti STANISLAO evenit, ut sub festum Assumptæ in cœlum Virginis (quàm ut matrem tenerrimè amabat) mira animum hinc migrandi ad cœlum cupiditas incesseret. Quocirca compositâ hac Epistolâ MARIAM orat, ne desiderium suum ultra differat, frustreturve quo minus proximiis apud cælites triomphis intersit. Neque profectò in casum vota recidêre. Quippe post paullò febre correptus est: quæ tametsi lenta primùm; eò tamen sensim paucisque intra dies invaluit, ut depastis visceribus, adolescentem anno ætatis circiter vigesimo terris ereptũ, cœlo transmiserit: ipsa Assumptæ in cœlum Virginis sacra nocte, anno Christi, 1569 Franciscus Sacchinus in eius vita.

Kostka

Koſtka Deiparæ.



21.

SYMBOLVM.

Quid navem, ſagittamque tenſo fune laxatam intueris? Illa in portum, hæc in cœlum tendit: Non aliter *Koſtka*, amoris igniti impatiens ima detrectat, cœlũque animo petit; quò *Maria*, quam, vt Matrem, vnicè diligebat, recepta eſt. Adeò de tribus iſtis verum, quod cecinit Vates.

Nequeunt laxata teneri.

Koſtka Deiparæ.

DA veniam, cœli decus auguſtale, MARIA,
Si tibi nunc à me littera ſcripta venit.
Scribere iuſsit Amor (cœlo licet omnia noris)
Impulit is timidas ad ſua iuſſa manus.
Subſtitimus primò: calamū pudor ipſe retentans,
Quid tibi tunc tandē KOSTKA paratur? ait.
Verte aliò mentem, precibus contexe coronam:
Gratior eſt Dominæ texta corona tuæ.
Quid faciam? adverſum hinc amor, hinc reverentia pugnant:
Hæc calami curſum ſupprimit, ille movet.
Vt ſcribam; vereor præfigere KOSTKA PARENTI,
Sis mihi cara licet pluſque parente parens.
Vrimur, ô bona Diva, & (ſi licet) ô bona Mater,
Vrimur: ô! quanto pectus ab igne calet.
Lintea traduntur frigentibus humida lymphis:
Lintea ſed flammas non domitura meas.
Quod facitis, dixi gratum eſt, ſed inutile nobis:
Non perfecturas quid mihi fertis aquas?
Exteriùs gelido corpus profunditis imbre:
Attamen interiùs, quo cremor, ignis adeſt.
Optavi quoties velut igni lampas edace.
Deficere ante aras, ô mea Diva, tuas!
Optavi quoties, vt quæ tibi ſacra micabat
Teda, foret vitæ terminus ille meæ!
Optaſſe hoc licuit: tedæ conſumitur ignis:
Maius at in noſtro pectore robur habet.

Eloquar?

Eloquar? an nostræ nunc est opus indice flāmæ,
Ne tibi sat noster cognitus extat amor?
Proxima lux oritur purâ spectabilis aurâ:
Suscitat ardores proxima pompa meos.
Hæc tibi, quâ fugeres terras fuit vltima, Virgo;
Quâ cœlum peteres, prima sed illa fuit
Fingo animo plausus lætoque sonantia cœlo
Tympana: mille tubas audio, milles fides.
Aligeri circùm volitant, fulgentque ministri,
Et fervet tota cœlica pompa via.
Pars Arabum complet nebuloso compita fumo:
Pars liquidum strato lumine vestit iter.
Emicat ante alios iuvenum lectissima turba:
(Sic nobis pompæ fingitur vmbra tuæ)
Cæsaries, illis purum flavescit in aurum,
Oraque formoso candidiora die.
Ornat palma manus, humeros bombycina vestis;
Pallaque non tactas vincere iussa nives.
Ponè subis: vivis certat tua palla pyropis,
Et superat quidquid gemmifer orbis habet.
Fallimur: hoc oculi vitium est: abscedite gēmæ
Plus satis aurata conspicienda coma es,
Illic castus Amor pulcha statione moratur.
Aurea deque tuo spicula crine legit.
Quid referam, quali raperis super æthera curru?
Qualis hic auriga est, talis an alter erit?
Non sic vectus iit, voluit cum splendidus auro
Davidides 1. Solymas conciliare nurus.

Non

1. *Salomon à Davide Patre, qui sibi ferculum seu rhedam triumphalem magnificentissimè extruxit, & hoc, vt habet Scriptura* Textus Cant. 3. propter filias Ierusalem.

Non sic aërio raptus qui turbine a vates
Dicitur ignitis ille per alta rotis.
Nempe humero Matri natus subit : ille parentem
Sustinet & famulâ ducit ad astra manu,
Quidquid id est; fari ne licet? tuus ille lacunam
(Si nescis) aliqua parte triumphus habet,
Scilicet alta patent domitis Capitolia turbis?
Captivo sine me, me sine, mater abi?
Ille ego sum : dulces hærent in corde sagittæ,
Meque tuus stricta compede vincit Amor.
Iamque per ætheros ferris Regina penates,
Sub pedibusque micant sidera pressa tuis.
Empirei quà summa patent penetralia cœli,
Panditur occursu ianua laxa tuo.
O! tibi quot plausus tibi quæ præconia certant
Deficit hoc vno littera nostra loco.
Dicite, vos nitidæ, cœli gens aurea, Mentes,
Dicite adhuc ima KOSTKA tenetur humo.
Sæpe tamen spectare iuvat, mea gaudia cœlum :
Fallor : & hoc vno pectora nostra dolent:
Nam quoties specto, toties incendia crescunt :
Nequidquam lacrymis imminuenda meis.
Scribimus interea : quid enim si temperet ignem,
Leniat & quæstus dextera mota meos?
At quantū mallem, quàm scriberet, illa triumpho
Spargeret Elysias officiosa rosas,
Aut etiā Angelicæ quæ promicat agmine turbæ,
Facundum digitis sollicitaret ebur?
Differimur votis, & adhuc tellure moramur,
Munera ferre tamen qualiacunque iuvat.

ER

a. *Elias Propheta, qui curru igneo in cœlum raptus est, lib. 4. Reg. cap. 2.*

Eſt locus extremo quà ſe formoſior horto,
Pendulaque æſtivam vitis opacat humum:
Illic formoſâ te ſiſtit imagine, Virgo
Et quiddam templi textilit inſtar habes
Illic 3 Loiolidum turba exiguiſsima laudes
Aſſolet, & Dominæ reddere vota ſuæ.
Vidi ego qui violas, qui candida lilia ferret,
Plenaque purpureis rubra caniſtra roſis.
Ivimus & vernam Divæ luſtravimus ædem,
Æde ſub hac etiam plurimus hoſpes eram.
Eſto, veris honor ſpatioſo floreat horto:
At mihi præ reliquis angulus ille placet.
Illic ſuccreſcunt dulces maturiùs vuæ,
Mercedemque ſuæ proximitatis habent.
Quid, quod aues iſtâ dicuntur ſæpe ſub vmbra
Dulciùs aſſueto perſtrepuiſſe ſono?
Hic philomela, ſacram ſtarem cũ nuper ad aram,
Virgineos certans evoluiſſe globos:
Non ego falſa loquor: celeri dum garrula voce
Turbinat introrſum, pœne canebat AVE.
Quidquid id eſt, modicâ geritur res tota tabellâ,
Altera ſunt cantus, altera dona roſæ.
Quin maiora ſequor? cœloque effundor aperto
Aurea quâ rutilum pompa præivit iter?
Mens petit alta quidẽ ſed corpore deprimor vno:
Vt levis aſperſâ pluma reſidit aquâ
Angele quiſquis amas, & quiſquis in aëra 4. Va-
Diceris æthereâ ſurripuiſſe viâ. (tem

Me

3. Novitij Societatis Ieſu, vtique Loiolides, abs D. Ignatio de Loiola Fundatore dicti.

4. Habacuc Propheta, qui è Paleſtina in Babiloniam per vnum crinem capitis, ab Angelo delatus eſt: prandium Danieli qui in foveaLeonum attinebatur, laturus. Dau. cap. 14

Me quoque tolle precor, gravis haud ego sarcina, namque
  Aligerum Kostkam iam prope fecit Amor.
Si satis esse nequit quo tollar in æthera crinis:
  Me toto, si vis, corpore ferre potes.
Annuit ille quidem: Dominæ sed iussa moramur
  Inquit: fac votis annuat illa tuis.
Ergo ad te redeunt mea vota novissima, Mater,
  Quam nequeunt alij, tu potes, affer opem.
Cur ego spectator vestræ non advolo pompæ,
  Vnus vt è multis ponè pedester eam?
Insequerer plausus, & longa per atria cœli
  Angelicum humana voce sonaret AVE.
Quin etiam Dominæ, quà fas vicinior irem,
  Et premerem sacrum Virginis vsque latus.
Quod si fortè aliquis pompa spectator in illa,
  Quò propior tendit, diceret, iste puer,
Crediderim vt dicas, mea Diva, suaviter illi:
  Mitte queri. Kostka est: est meus iste puer.
Parce tamen, voto si fors peccavimus isto:
  Non patitur frænos, qui violenter amat.
Quid? quod nec voto tantùm, peccamus & ira,
  Quæ mihi nescio quò pectus amantis agit.
Sæpe (fatebor enim) qui me nunc vrit Amorem,
  Contendi iustas non habuisse faces.
Et quid Amor (dixi) quid vitæ stamina differs,
  Cætera concedunt ignibus, ista manent.
Quin exile mihi teneor quo corpore filum,
  Admoto propiùs lampadis igne cremas?
Sæpius indignor repetitis ora madere
  Fletibus, & lacrymas criminor ipse meas.

Staminibus modicis adstringor, aranea texit
 Qualia, vel picti qualia 5, Seres habent.
Totque oculis fūdo diudū lacrymantibus imbres
 Nec pereunt vitæ fila minuta meæ.
An quia vita mihi primo pubescit in ævo,
 Huc parcit sævas 6 Parca tulisse manus?
Inferat: atque vtinam fatali forfice telam,
 Et resecet media stamina rapta colo.
Est prope vt invideam pubentis floribus horti,
 Quæque cito teneræ carpitur vngue rosæ.
Ipse ego permissa quoties hanc colligo dextra:
 Flos vtinam vitæ (dico) sit ille meæ:
Cur sic non legitur primæva Kostka iuventa,
 Cur numerum lectis non facit ille rosis?
Decerpi lucrum est: qui primo manè virebat
 Flosculus, interdum vespere læsus obit, (ber
Vel gravis hunc æstus, vel turbidus opprimit im-
 Hei, mihi, ne simili vulnere Kostka gemmam
Cætera cur taceo, nuper, mea Diva, nitebas
 Flore novo castas impediente comas.
Candida virgineo gestabas lilia serto,
 Quæque regis domina cœlica sceptra manu:
Vt vidi, ingemui! tacitoque in pectore dixi:
 Certa precor, fati sint ea signa mei

5. Seres Syriæ Asiaticæ populi, qui ex arboribus lanā tenuissimis filis depexunt, conficiuntq; id genus panni, quod Sericū vocamus. 6. Parcæ, per Antiphrasin sic dicta quod minimè parcant, tres sunt, quæ mortalium vitæ stamina dispensant vt poetæ fabulati sunt. quarum nomina, & officia hoc dicto circumferuntur- Clotho colum baiulat, Lachesis net, & Atropos secat. Easdemq; Hesiodus canit Mortalibus, sive Nascentibus hominibus conferre bonum & malum.

γεινομένοις θνητοῖσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.

Dummodò sic, duro succũbat KOSTKA tyrãno
 Iaponiamque premat sanguinolentus humum.
Sed facienda loquor : vellem quæ facta fuere,
 In nostras possent illa redire manus.
Quid mihi si natum dederis, velut ante dedisti
 Delitiasque tuas, delitiasque meas?
Non foret ille tibi precio reddendus eodem:
 Nec latâ quamvis (crede) rediret ope.
Amplexus premerem plusquam languẽte lacerto,
 Plusque 7 Viennæâ vincula blanda morâ.
Cædere si vellet, contrâ violentior irem:
 Verbaque suppetas viribus ista darent.
Vel duc me ad matrem; vel te, puer auree, sistam
 Non aliâ nobis lege solutus eris.
Scribere plura libet: sed qui mihi depluit imber
 Impedit & lacrymis humida charta meis.
Cætera qui dicat 8 Laurentius inter ovantes
 Facundus pro me nuntius alter erit.
Scit bene quid flammæ, quid magna incendia possunt:
 Scit bene quas vires ignis amoris habet.
Ergo age: sique faves KOSTKÆ pia Mater, amanti,
 Accipe cum votis vltima verba meis,
Nil mihi rescribas, tua sit sed Epistola morbus:
 Quamq; tulisti olim nunc mihi redde febrem;
Scilicet hæc meliùs quàm quavis littera dicet,
 Venarum pulsu languidiore, veni.

EPISTO-

7. *Adolescens Viennæ Austriæ dum studijs vacat in morbũ incidit, à quo tamen Virginis patrocinio, quæ ei apparuit, & puerulum Iesum in vlnas tradidit, brevi convaluit.*

8. S. *Laurentius Martyr, qui ei ex sortitione menstrua patronus obtigerat.*

EPISTOLA SEXTA.

ARGVMENTVM.

Ferdinandus Gonzaga Imperij Princeps & Castilionis Stiverorum in Gallia Cisalpina Marchio, ex Mantuæ Ducibus cùm ex Martha Tana Santenia Illustrissima apud Taurinos fœmina, Aloisium natu inter liberos maximum tulisset: nihil antiquius habuit, quàm vt eundem statim à prima juventa Nobilium exercitijs erudiret, sperans fore, vti prosapiæ splendori, ijs gradibus ad gloriam niteretur. Sed cùm è diverso Deus juvenem divinarum rerum illicijs captum Societati sensim initiaret: gravis concertatio exorta est: Aloisio hinc abeundi facultatem, inde parente Marchione repulsam pertinaciter agitantibus. Cùm igitur Aloysius frustra captatas, & occlusas precibus paternas aures animadverteret: jamq; voti sui impatientior: ad Claudium Aquavivam, qui per id tempus Societatem vniversam cum supremo Imperio Romæ administrabat, hanc Epistolam scribit: In qua & animi sui affectum, votumq; aperit, quo Societati sese addixerat: vetare autem parentem obstinatiùs; quo tamen nequidquam pensi habito postulat in Societatem admitti. Inflexit hic adolescentis ardor, non modò Aquavivæ, sed & parentis animum, adeoq; factum vt Societati post paullò adscriberetur, in qua intra sexenium quod vixit; ita ad virtutem sese exercuit, vt vitâ functus, ac miraculorum famâ clarus Beati & Angelici *nominibus, Summorum Pontificum auctoritate, insignitus fuerit. Obijt Romæ anno Christi* 1591.
P. Virgilius Cepario, in ejus vita.

Aloiſius Aquavivæ.



22.

SYMBOLVM.

Cervus hic ad fontem, vt vides, curſu emicans, pro ingenti deſiderio eſt: ita enim & ſuum prodidit Vates Regius Pſ. 41. Neque in *Aloyſio* id deſideres, qui per Epiſtolam ad *Aquavivam* accedere feſtinat. Quare bene de vtroque:

Vivit, ſi repperit vndam.

Aloyſius

Aloysius Aquavivæ.

MIttit ALOYSIVS, quam non habet ipse, salutem,
Et nisi Romana non habiturus ope.
Mittit aquæ sitiens violento torridus æstu,
Quem nec si cupiat, dissimulare potest.
Attamen vt scripto prodam mea vota libello,
E calamo nigræ vix fluit humor aquæ.
Sed bene, quod nostros vt scribere possit amores,
Quoque fluat, lacrymas combibit ille meas.
Scribimus atque vtinam quò scribimus ire liceret,
Proque manu, pedibus conficeretur opus.
Tunc ego, cerve, velim rapido te vincere cursu,
Ad gelidas quando curris anhelus aquas.
Novimus & fontes: & quæ sic currere cogit
Majus nostra sitis, quàm tua, calcar habet.
Differor interea: solum brevis iste libellus
Romanum pro me carpere gestit iter.
Hæc ego dum scribo: permixi, littera, dixi:
Pro penna, meus hic, quem geris, ignis erit.
I, licet: ad Latios propera, mea pagina, fontes;
Puraque Romani quære fluenta soli.
Sed cave fallaris: neque primi fluminis vndas,
Sedandis aptas ignibus esse puta.
Nil tibi cum Tibri: mediam licet influat vrbem
Spumantique vado turgidus arva riget,
Est qui, felici fons illic labitur vnda, 1
Est qui 2. Virgineas egerit alter aquas.

Ah

1. 2. *Præcipui vrbis Romæ fontes, vulgò dicti:* Aqua Felice, Aqua Virgine.

Ah moneo ne te ſpecioſa hæc nomina fallant:
Non facit ad flammas ille nec ille meas.
Sed prope quà primo ſurgunt Capitolia cliuo,
Et 3 IESVS Matris nomine templa tenet
Illic quas petimus lymphas AQVAVIVA mini-
Non alio noſtra eſt fonte leuãda ſitis. (ſtrat:
Hei mihi! iam toto currunt ea flumina mundo,
Quoſque bibat riuos Indus & Indus habet.
Iam nouus inſolitas Iapon miratur ariſtas,
Germinaque ex iſtis non ſua cernit aquis.
Maurica (ſic fama eſt) iſto quoque fonte rigata
Edidicit culto mollior eſſe ſolo.
Caſtilio tamen aret adhuc, neque littora circum,
Quo læto vireant ceſpite, lympha fluit!
Iam ſcio reddiderint cur paucas iugera meſſes:
Non terræ vitium; fluminis illud erat.
Interea dum vana queror; fons irrigat vrbem:
Illuc ſunt animi vota ferenda mei.
Vera loqui certum eſt: nec enim, Pater optime, fallit,
Qui calet in noſtro pectore verus amor.
Ad nova bella vocat, quorum eſt IGNATIVS auctor,
Duxque ciet fortes ad nova ſigna viros.
Sæpius ille (alto ſeu ſol micat igneus orbe
Seu vaga nocturnis Cynthia fulget equis.)
Sæpius ille mihi, GONZAGA, ſuſurrat in aurẽ:
Quando novus IESV nomine nomen eris?
Quid tibi cũ titulis? quid magna palatia proſunt?
Quid tibi quod claros Mantua donat avos,
Pars

3. Templum domus Profeſſæ Societati Ieſu, quod antea Maria de Strata appellabatur.

Pars quota laudis erit, variâ si Marchio linguâ
Castilionæi diceris esse soli?
Respice LOIOLAM titulorum insignia ponit,
Maior vt abiecta nobilitate foret.
Dic age: cur illo nondum duce tendis in hostem,
Adstringisque tuas ad sua bella manus?
Hæc vbi fatus Amor, lateri se iunxit amicum:
Primaque militiæ signa fuere novæ.
Néve recusarem tædis ardentibus vrget,
Et sacro totas occupat igne fibras.
Quid facis? exclamo: GONZAGAM mitiùs vre:
Porrigimus victas in tua iura manus.
Aut ego succumbam properati vulnere lethi:
Aut ego LOIOLA sub duce miles ero.
Si tempus petitur, quo primum exarsimus: æstas
Incaluit flammis iam prope quinta meis.
Aspice 4. LOIOLIDÛM iuvat vt preludere castris
Præcingunt nostrum pallia nigra latus.
Scilicet ex illo, quo nunc quoque carpimur igni,
Purpura (crede) mihi nil nisi visa rubor.
Adde quod & CHRISTO 5. castum mea corpora munus
Tradiderim, Paphia non violanda face.
Lilia Virgineis inerant tum forsitan aris:
Illa mei, dixi, signa pudoris erunt.
Hinc flos ille placet, istisque coloribus olim,
Inque mea pingi 6. lilia casta manu.
Nec tamen idcirco fulgor mihi displicet ostri,
Sertaque purpureæ sanguinolenta rosæ,

Nimirum

4. Impetrat à parente Marchione, vti Ecclesiastico habitu vtatur. 5 Octennis castitatem Deo & Mariæ vovet.
6. Cum lylijs depingi solitus est.

Nimirum quod amo, nomen bene pingitur illa:
Sanguineo IESV convenit iste color.
Milite me crescat LOIOLÆ exercitus vno;
Dignaque sanguinea bella movebo rosa.
Sive iubes, visam postremis Iaponas oris:
Sive iubes, Brasilæ barbara tesqua plagæ.
Audacem me fecit Amor: sit copia tantùm,
Clausa petam rigida Sinica regna sera.
Riccius 7. hos Italo perrupit robore vectes:
Vt sequar, hic iusta plus mihi parte favet.
Nec vereor tepidis stillantia funera cultris:
Est mihi qui fosso pectore sanguis erat.
Si Iapon Italo de sanguine crescere debet,
Crescat: at ille meo sanguine crescat ager.
Extera quid memoro? me bella domestica cin-
Non exspectato septus ab hoste premor (gũt
Nam pater immerita clausum me detinet ira,
Vixque pedem primo limine ferre sinit.
Credideram certè flecti potuisse rogando:
Seu prece seu lacrymis aggrederemur opus.
Ivimus in blandas demisso poplite voces:
Mollior at nostra non fuit ille prece.
Addidimus lacrymas: lacrymæ volvuntur inanes:
Excipe quod flammas hæc alit vnda meas.
Sic ego detineor patriis sine crimine septis,
Nec video faciles inde, nec inde vias.
Ah! vtinam verum quod primis mater in annis
Sæpe mihi puero vaticinata fuit:
Angele mi (sic me puerum vocitare solebat)
Angele mi, puris Angele digne rosis.

Scilicet

7. P. Matthæus Ricci Italus primus Sociorum in Sinense regnum penetrat anno 1582.

Scilicet vt patrio de carcere liber abirem,
Iam foret optatæ penna parata fugæ.
Desererem sedes, septa invidiosa, paternas
Aëriâ properans ad mea vota viâ.
Et licet effusis stagnet 8. Benacus in vndis,
Tranârem liquidum iam novus ales iter,
Non ego formido ne lapsus ab æthere signem,
Nomine ALOISIAS naufragus alter aquas.
Dædalus 9. Icarias cerâ malè finxerat alas:
Non metuunt solvi quas mihi finxit Amor.
Sed fateor, locus hic tales non efficit: at quò
Tendimus 10. ANGELICOS efficit iste locus,
Quid referā, quoties volui, cùm nascerer infans,
Prima mihi tenuem tecta fuisse casam?
Quid referā quoties GONZAGAE nomina gen-
Esse queror votis invidiosa meis? (tis,
I nunc, quisquis amas magno de sanguine nasci:
Pœna mihi magnos quod numeramus avos.
Interea toto quid versem tempore quæras,
Forsitan, à patria dum vetor ire domo?
Sæpe fugam meditor: nec enim sic fugero primus:
Fecit & hoc nobis 11. KOSTKA Polonus iter.

8. *Benacus, vulgò* Lago di garda : *lacus est prope Castilionem.* 9. *Dedalus Atheniensis faber egregius fuit : quem Poëtæ fabulantur, alas è cerâ sibi finxisse ad volandum, vt è Creta, vbi cum filio attinebatur, fugeret. Cùm autem Icarus altiùs volaret, ardore solis liquefactâ alarum cerâ in mare decidit, quod ex eo Icarium mare dictum est. De quo Ovid. lib. 3. Tristium. Icarus Icarias nominè fecit aquas.*

10. *Angelici Iuvenis titulo à Gregorio XV. Pontifice auctus est, anno.* 1622.

11. *Stanislaus Kostka Viennâ, vbi operam litteris dabat, occultè in Italiam profectus est, quò Societati se traderet, per iter multis favoribus ab Angelis & B. Mariæ cumulatur.*

Auſtriacâ fertur iuvenis fugiſſe Viennâ,
Et Latii ignotas corripuiſſe vias.
Ne tamen incertò captaret devia greſſu:
Lampade ſuccenſa prævius ibat Amor.
Nec fratrem impediit frater, licet vſque ſecutus:
Nec fuit abruptâ præda retenta fugâ,
Sic fugiturus ego nuper quoque (vera fatebor)
Ni fratrem frater præpediſſet, eram.
Quid, Rodolphe, paras? quid contra niteris? in-
Obſiſtis votis quid puer ipſe tuis? (quam:
Ah! ſine me quò ducit Amor: ditabere facto:
Grande fugæ pretium. Marchio, frater eris.
Nequidquam fugit ille citus; meditataq; prodit,
Fortius occluſâ præpedienda domo.
Interea cauſis non apparentibus æger,
Neſcio quis dudum corpora languor habet.
Sæpe dapes inter gemitus ſine voce profundos
Miſcentur lacrymis pocula ſæpe meis
Quoſq; imbres oculus vino impluit, ora reſorbét
Ne deſit pluviæ vena perennis aquæ.
Prima mihi genitrix, inquit GONZAGA, labo-
Prima malam febrem dixit, amoris erat. (ras
Accitur Medicus, tentatur pollice vena:
Iuſſaque dilutæ potio fertur aquæ.
Quid facitis? (dixi) ſi me tenet ignea febris,
Sedare hos æſtus vnica lympha poteſt.
Parce parens, natum medico corrumpere potu
Sanus erit, tantùm quò cupit, ire ſine.
Sic mihi lux agitur, neq; noctis amicior hora eſt,
Nec minus eſt lacrymis fertilis illa meis.
Vt quid enim toties deludor imagine ſomni,
Dum ſubit irrepens lumina feſſa ſopor

Nam prope nunc videor Latios accedere muros:
Nunc Loiolæas, tecta cupita, fores.
Iam videor sacro describere nomen in albo,
Et circùm pulla corpora veste tegi
Est etiam qui me suspiria ducere narret,
Verbaque cum somnis mista ciere meis.
Iam fontem GONZAGA tenes: (ita dicere narrat)
Plenaque iam *Viuæ* pocula sumis *aquæ*,
Ah vtinam mediâ dicamus talia Româ,
Nec toties sensus fallat imago meos!
Certé ego cum somno linquor seu manè rubente
Vespere seu sero, lumina nostra madent.
Vel quia sopitos luserunt gaudia sensus:
Vel quia cum somno rapta fuere meo.
Est mihi funereâ pendentis ab arbore Christi
Effigies, 12 rubeis conspicienda notis
Illi sæpe meos commendo mœstus amores:
Accipit amplexus sæpius illa meos,
Christe per has lacrymas per & hæc suspiria dico,
Fac precor ô socium me tibi iungat amor
Nec labor efficere est similes prope dicimur ambo!
Tu cruce, detineor carcere fixus ego.
Effundis lacrimas. oculis rorantibus asto:
Sanguine membra rubes, & mihi sanguis abit.
Ite flagra in fontem, rubicundi currite riui,
Quò mea sanguineis culpa lauetur aquis.
Et sitio exclamas: sitio quoque: scilicet intus
Quo cremor ad *Viuas* ignis anhelat *Aquas*.
Vlteriùs nihil est nisi tecum vt dicere possim
(Et cupio) Natum deseris ergo Pater?

12. *Solitus fuit Aloysius secreto in cubili, coram Crucifixi imagine sæpius orare, & flagellis acriter se cædere.*

Deserat, ô! vtinam, quem sic malè servat, & odit,
Ah! precor, admissi pœna sit illa mei
Hæc ego; sed quoties Christo damus oscula: meq;
Applicitum blandâ crux fovet ista morâ.
Nescio quæ mihi vox tacitè demissa per aurem,
Quid, GONZAGA, times? Tu meus, inquit, eris.
Fac tantùm vt côstes; Romam tua vota ferantur:
Postmodò cum votis ipse ferêre tuis.
Altera vox vera est: Romam mea vota feruntur:
Altera sed mallem vox modò vera foret.
Quis prohibet? iubet ire Deus: mea dextera, siste;
Cætera sunt pedibus conficienda meis.
Fallimur? an toties duro placuisse parenti,
Quæ meruit pietas præmia, carcer erit?
Huc adhibe vultus, pœnæ solamen, 13. Alexi,
Tuque fave cœptis, O 14. Calibyta, meis.
Grande rudimentum posui, neque vicimus hostē:
Sanguine quò propior, fortiùs ille nocet.
Quid? patrios vobis licuit fugisse penates?
Si fugiam facti criminis author ero?
Ah! meliùs, redeat prisci bona temporis ætas;
Et faveat vobis qui bene favit Amor.
Tu quoque Kostka fave, cupidumque amplectere fratrem:
15. Sit pater ille mihi, qui tibi frater erat.
Quid, quod iam cœlo MARIÆ iungeris? illinc
Quod cupio auxilium tu mihi ferre potes.

Dic

13. 14. *Ambo enim paternos penates reliquerunt, vt Deo vacarent.*

15. *Claudius Aquaviva, cui quondam Stanislaus Kostka in Tyrocinio Romano convixerat.*

Dic age, ſi profugus præeunti iungar IESV,
Iudice vel tanto quod mihi crimen erit?
Hunc Solyme vidit ſine matre & crimine: quávis:
MARIÆ madidas viderit illa genas.
Cur ſic non fugio? non hoc ego læſero matrem;
Porrigit hæc victas in mea vota manus.
Attamen expecto, donec, pater optime, Româ
Des mihi captandæ ſigna cupita viæ.
Inde velim diſcas, quàm iuſſa capeſſere promptus;
Et, precor, vt tantæ ſint ea lucra moræ.
Ergo fave, longas neque gaudia differ in horas:
Sed citò, (namque potes,) me properare iube.
Per lacrymas oro (quoniam tibi ſcribimus illis)
Aſpice in hoc pallent quàm mea ſcripta loco.
Per ſacros Nati, per caſtos Matris amores:
Vtraque viſceribus nomina ſcripta meis.
Per ſi quid terris vſquam, poſt ſacra Deumque:
LOIOLIDûM populo charius eſſe poteſt;
Da mihi te facilem, nec duro perlege vultu.
Quæ poſtrema meus verba libellus habet,
Vror vt accenſo peritura bitumine cera:
Liquor vt expreſſà de nive manat aqua.
Adde meas ſocio lacrymas AQVAVIVA, fluéto:
Aut domitor flammæ ſis, AQVAVIVA, meæ.

EPISTOLA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

IOannes Berchmannus Belga, Diesthemij Brabantiæ Oppido natus honestis parentibus, cum à primâ pueritiâ virtutem coluisset: tandem B. Virginis patrocinio, quam eximiè ac singulariter semper in amoribus & cultu habuit, in Societatem admissus est, Mechliniæ anno, Christi 1616. ætatis circiter 18. Cùm autem absoluto Tyrocinio inde Romam missus esset ad Philosophica studia. mirùm quanto illic animo litteris iuxtà ac virtuti incubuerit. Quippe crescente in dies erga Deiparam Virginem, eiusque Immaculatam Conceptionem, affectu, eò tandem processit, vti coram venerabili Sacramento, eiusdem Virginis Conceptionem Immaculatam propugnandi, quà voce, quà stylo, votum, etiam scripta syngrapha nuncuparit. Hanc igitur cum Epistola ad B. Virginem Aspricollensem in Belgio vbi puer ex Diesthemii viciniâ frequentior. primos ad virtutem igniculos conceperat, abs eo transmitti hîc fingimus inter alia eiusdem Sacelli anathemata & donaria, appendendam. Porrò in hac Epistola varia commemorat beneficia quæ privatim sibi ipsi publicéque Societati à B. Virgine collata prædicat: atque ex eo animum erigit ad eiusdem Virginis Conceptionem Immaculatam, quocumq; terrarum mittatur propugnandi, & scriptis etiam posterorum memoriæ asserendi. Sed eo Berchmanni affectu Deus ipse ac Deipara contenti fuere: siquidem post paullò annos dumtaxat 22. natus, Romæ obiit, relicta non exiguæ sanctitatis opinione, anno Christi 1621. Idibus Augusti, P. Virgil. Cepario in eius vita, parte 2.

Berchmannus B. Virgini Aſpricollenſi.



23.

SYMBOLVM

Ægyptii cinoniâ & cane gratitudinem exprimebant: nos iiſdem *Berchmanni*, gratum animum, quo *Virgini*, quidquid boni poſſidet, acceptum refert. Ne igitur mirêre expreſſam in Symbolo celeritatem : bene enim in referendis gratiis aut curritur, aut volatur.

Ne fors oblivia culpent.

Berchmannus B. Virgini Aſpricollenſi.

DIVA, cüi *Montis* culmen ſacratur *Acuti*,
Quà tibi vicinas 1. Demera voluit aquas.
Da veniam, & parvæ curſum permitte tabellę:
Natalem 2. repetit ſcilicet illa locum.
Nec tamen illa venit patrios viſura penates,
Miſſaque ab Auſoniis Belga futura plagis.
Te petit, & pictis tua templa micantia votis:
Hęc illi captæ cauſa fuêre viæ.
Exiguâ (fateor) conſtant mea munera chartâ.
Charta tamen flammas continet illa meas.
Nempe mihi; tacitis dùm texo roſaria labris,
Et vultu, & pallâ conſtitit albus Amor.
Caſta placent: cultu ſic te quoque viſimus, inquit;
Primaque MARIÆ tempora caſta placent,
Hæc vbi: templa petit, manibuſque prehenſat amicis;
Moxque Deo coram plura loquemur, ait.
Vix loca contigeram, quà devenerandus in ara,
Triticeo IESVS conditus orbe latet.
Cùm ſubitò: ecquid adhuc dubitas ſubſcribere? dixit?
Scribe: Deus voti teſtis & auctor adeſt.
Scribo igitur, movet ille manû, iuramus vterque:
O, Amor! ah! voti fida tabella mei,

Iamque

1 *Demera fluvius Sichemium alluens, iuxta quod Aſpricollenſis Virgo colitur.*
2 *Dieſthemium oppidum Berchmanni patria, milliari parvo abs Sichemio diſtans.*

Iamque parabat iter, prope quà Sichemia tellus
 Porrigit vmbroso templa colenda iugo.
I fælix (dixi) pia pagina: nomina tolle,
 Nec locus hic ASPER, nec tibi durus erit.
Sæpe iugum scandi saxis acclive; nec vnquam
 Læserunt teneros aspera saxa pedes.
Quin meminisse iuvat, facilisq; recursat imago
 Cùm puer huc socia matre sequebar iter.
Manè erat, & vitreas Auroræ semina guttas
 Sparserat irriguo Lucifer ortus equo,
Protinus, egredior portis, circùm vndique sylvæ,
 Perque viam molli gutture cantat avis.
Crediderim didicisse meos de Virgine sensus:
 Et tibi DIVA, sacros instituisse choros.
Interdum quoties effingimus ore MARIAM,
 Et silet, & flexo poplite plaudit avis.
Ipse ego de globulis (globulos, tua serta tenebã)
 Permistas cupidis passibus addo preces.
Mox vbi cõspecta est primùm domus addita colli,
 Auget & hæc animos, vt properemque facit.
Ah! quoties (recolo) curâ studioque videndi
 Proruit, & summam pes malè fixit humum.
Templa tenebamus: tua me rapiebat imago,
 Querna, sed ad flammas cerea facta meas.
Hic ego, BERCHMANNI (dicebã) Virgo, cliẽtis
 Si memor es, vultu nec minùs aure fave.
Parvus amans quamvis, magno tamẽ igne peruri
 Optat, & in cultus fortiter ire tuos.
Scis, mea lux, inquã, materna 3. vt fusus ab aluo,
 Concessi in titulos, & tua iura puer.

3. *Sabbatho natus est Berchmannus, eodemq; Societatem ingressus, ac demum eodem sepultus.*

Sabbatha lucebant niveo ſplendentia cultu :
Ille dies vitæ candidus augur erat.
Non ego diffiteor : ſenſi tua ſpicula, ſenſi,
Spicula Virgineâ tunc bene facta manu.
Nec cruor hoc fluxit de vulnere, lacryma fluxit :
Et pueri molles immaduêre genæ.
His mihi creſcebant repetitis corpora votis
Menſque mihi pariter fortior intus erat.
Peſtifer invidit, ſed caſsis viribus Orcus,
Non profecturas induit ille minas.
Scilicet à ſacris Laribus fortaſſe redibam,
Et vagus implexo calle viator eram :
Cũ 4 nigra nox cœlo prætexitur, humida nimbis
Et tonitru rutilas mox paritura faces,
Saga fuit (memini) ſic ſic, ô perfida dixi,
Bella cie : ſtimulos nil niſi felis habes.
Vix ea fatus eram: cùm lapſo fulmine felis
Vngue minax, noſtros corruit ante pedes.
Interea Virgo castris adſcribor IESV:
Nec fuit hoc ſine te præſidioque tuo.
Prima rudimenti tellus 5. Mechlinia teſtis :
Hæc mores vidit compoſuitque meos.
Imus in Auſoniam: (ſed quid tamen omnia narrem)
Et comes ad Latias fis mihi, DIVA, plagas,
Ah ! quoties ſenſi pluvio data vincula cœlo,
Ne rueret ſubitis turbidus imber aquis. Te

4. *Revertens ex æde Virginis, & per ſylvam errabundus, ſubito atque horribili tonitru percellitur maleficio ſagæ, quæ ſpecie felis ad pedes eius evanuit, tonitru ipſo ac fulgure intra fragorem as metum ſævientibus.*

5. *Mechlinia Brabantiæ vrbs ſuper alias Concilio Regio nobilis: in qua Domus probationis Provinciæ Flandrobelgicæ Societatis IESV.*

Te duce cõcretas nivibus trãſcendimus 6. Alpes
Saxaque nocturno lubrica facta gelu.
Nec tamen obrigui, cecidi minùs: arcuit iſthæc,
Qui tuus in noſtro pectore flagrat amor.
Mox vbi Lauretæ tandem ſucceſſimus ædi,
Senſi me totis incaluiſſe fibris.
Scilicet 7 intus eras, ſed erat quoque paruulus intus:
Iactabas geminas tuque puerque faces.
Hinc Latiæ poſtquam penetraui mœnia Romæ
Templaque polluto non adeunda pede:
Neſcio qui memet 8 *Ferrati* nominis ædes
Nilæaque rapit relligionis opus.
Aſpera ceſſerunt, redeunt *Ferrata*: ſed ambo
Sub duro blandum nomine pondus habent.
Aſpera ſic nunquam, ſic nunquam *Ferrea* Virgo
Eſſe ſolet, votis ſemper amica meis.
Quid tamen hæc memoro? LOIOLAE plura miniſtras
Quæ poſt in natos dividit ille ſuos.
Teſtis 9 eris, Guttiere, cüi teſtata MARIÆ
Fœdera Virgineus prodere iuſsit Amor.
Forſitan orabis primo calefactus Eoo,
Inque tuis oculis Virginis ara fuit.

6. *Alpes montes altiſsimi, & perpetuis nivibus operti, Italiam à Gallia ſeparantes*

7. *Pridie Natalitiorum Chriſti Lauretum appulit, ubi totam noctem magno æſtu, animiq. ſolatio tranſegit.*

8. *Templum B. Virginis Romæ, quod vocant* Di grotta Ferrata; *prodigiosè à S. Nilo, ubi eiuſdem etiam corpus aſſeruatur conditum; ad quem locum magnus eſt populi concurſus, eoque itare ſolitus Berchmannus*

9. *P. Martinus Guttieres Hiſpanus coactam ſub toga B. Virginis Societatem univerſam conſpicit.*

Da veniam, Mater, votis traducimur, inquis:
Quæ tibi cura mei discere gestit amor.
Integra fovisti maternas castra sub vlnas;
Nunquid & exiguæ cura Cohortis erit?
Dixerat hæc: subitoque in lumine DIVA refulsit,
Virgineum laxo pectus operta sinu.
Et prior: ecquid adhuc dubitas, Guttiere? vereri
Desine, LOIOLÆ castra fovemus, ait.
Nec mora: laxa togæ subter confinia, totus
LOIOLIDAE populus Virginis hospes erat.
Hac mihi sub palla quæ non fiducia crescit,
Et rapit obstrictas ad pia bella manus?
Vincimus hinc, Mater: 10. nudoque rosaria collo
Erudiunt somnos in mea lucra meos.
Si quis (vt in somno) furvus surrepserit hostis,
Turbidaque ignavis sensibus arma movet.
Protinus appositi pave-factus imagine serti,
Diffugit obscura noctis in antra fugâ.
Quid moror hic, Virgo? tuus ô! BERCHMANNVS ad Indos
Gestit, & extremos orbis adire Sinas.
Quaq; nigris Brasilus phœbæa lampade mēbris
Horret, & humanam dicitur esse dapem.
Proruet huc velox, moraque citatior aurâ:
Nil hunc barbaries, nil fera tela movent.
Candida Virgineis agitabit prælia signis,
Candidus & nivea te duce victor erit.
Quin & te PVRAM cùm toto edixerit orbe,
Impressis 11. figet casta trophæa typis.

Interea

10. Berchmannus rosario B. Virginis collo imposito cubare & dormire solitus.

11. Votum emittit primum librum (si edere contingat) de Immaculata B. Virginis conceptione scribendi.

Interea dum crescit adhuc, & fingitur ætas,
Pendeat ad postes ista tabella tuos.
BERCHMANNVS puros DIVÆ tutabitur ortus
Sic amat, & scripto testificante vovet.
Tu quoq; fac, mea Diva, nigro quàm carus amictu
Tam tibi sit niveo pectore carus amans.



EPISTO-

EPIST. VIII.

ARGUMENTUM.

CVm hactenus hoc tertio Epistolarum libro nonnulla tractaverim quæ ad Societatem pertinebant, placuit hic quasi corollarij in modum, ejusdem Societatis, quam per prosopopœiam hic inducimus, Epistolam addere. Scribit autem illa ad suos, qui in acie & campo (vt ita loquar) cæteris ad cœlestes palmas admissis, adhuc decertant. Et verò consentaneum visum est, quando annum Sæcularem fundatæ ab Ignatio Societatis agimus, præclara facinora commemorare, quæ maiores nostri ad Dei gloriam, salutemque animorum patraverunt. Quod ipsum hac Epistola attingere studui, Societatem ipsam suis scribentem inducendo, eisque Maiorum exempla, ac virtutum veluti imaginem quandam exhibendo, quò quisque acriùs stimuletur accendaturque ad imitandum. Porrò neque inter scribendum rationes alias omisimus, quibus momenti aliquid inesse videri poterat ad persuasionem: tametsi ad animatos suâpte Socios sermo sit; neque enim vetitum, quod vulgato proverbio discimus:

Currentibus addere calcar.

Socie-

Societas Ieſu Filijs ſuis anno ſuo Sæculari.



24.

SYMBOLVM.

Palma arbor & Phœnix avis ſæcula patiuntur :nihilo ſeciús *Societas* centum jam annos adulta; & florens. Quippe vt Palma adverſorum pondere preſſa, at non oppreſſa : & ſupra Phœnicis annos ſenectam ignorat, nedum exuit. Quàm ergò iure, faventibus cœlo terraque, ejuſdem poſtibus affixeris.

A Sæculo & vſque in Sæculum.

SOCIETAS IESV FILIIS SVIS ANNO SVO SÆCVLARI

ILla ego tranſmiſsis cœlo notiſsima turmis,
Loiolæ proles, Ioiolidumque parens:
Pauca meis ſcribo, quos magni caſtra Tonantis,
Exercent, & adhuc infimus orbis habet.
Scribendi neque cauſa levis; centeſima meſsis
Exijt, & nivibus cana cucurrit hyems:
Ex quo 1. Romani ſacras ad Præſulis arces,
LOIOLIDAS cœpi Mater habere viros.
Eſt aliquid Phœnix toto cùm vivida ſæclo,
Inſtruit aggeſtos in ſua buſta crocos.
Eſt aliquid palmæ centum creviſſe per annos,
Totque hyemes nitida ſuſtinuiſſe comâ.
Talis ego: talem chari ſpectate Nepotes,
Loiolidæ peperit quos mihi fortis Amor.
Noſcimur? an quoniã mihi littera fulgurat auro,
Neſcitur præſens vnde movetur opus?
Illa ego ſum, magni quæ Nomine dicor IESV
Semper in hoſtiles fortis itura globos.
Forſan at hic aliquis motus novitate requirat,
Cur mea ſit rutila ſcripta tabella nota.
Lætitia prodendus amor, victoria luce:
Non facit ad palmas littera nigra meas.

Sic

1. *Pauli Tertij Pontificis Maximi, anno* 1540. *DD. Coſmæ & Damiani ſacris ferijs,* 17. *Septembris.*

Sic 2. quoq; Loiolides rutilo pinxisse colore
Fertur, cœlitibus quod benè cessit opus.
Inspice quæ scribo, proles mea disce parentem:
Materies oculos exigit illa tuos.
Mons fuit Empyreo similem prope dixeris: illi
Diffusum toto vertice lumen erat.
Huc ego, centenus vix dum diluxerat annus,
Rapta fui Natos intuitura meos.
Scilicet exceptam passâ me sustulit ala
Penniger, & IESV nomine pictus Amor.
O! ibi quid vidi! fas sit mihi visa referre,
Nec pigeat scriptis quæque notare meis.
Montis in ascensu primique ad limina clivi,
Quà structus rutila fronte micabat apex,
Aliger occurrit, vultuque, habituque decorus,
Atque prior: Genitrix optima, vivis, ait.
Bis tibi lustra decem partu fluxere fecundo,
Nec tamen hinc vlli facta videris anus.
Non tibi dens putris, non fœdo pupula fluxu:
Infecit castas non tibi ruga genas.
Iunge manũ, & quãntis cœlum depinxeris astris,
Quæque illi dederis sidera, visa dabo
Dixerat hæc iunxique manum rapidoque volatu,
Constitimus claras protinus ante fores.
Aurea gemmatis prostabant limina valuis,
Ostiaque 3. appicto splendidiora Deo.
Protinus agnovi, tacitoque in pectore dixi:
Loiolidæ populum continet iste locus.

Mox

2. *Solebat Ignatius Sanctorum res gestas, vario picturæ genere, & quàm clarissimis litteris in codicem referre* Maffeius lib. 1. cap. 3.

3. *Nomine Iesu, quod Societatis symbolum atque insigne est.*

Mox tibi diducto patuerunt atria poste,
   Atria conspectus detinuere meos.
Et stupor invalit: nec sic tamen ille nocebat,
   Quin fierent oculis pervia quæque meis.
Scilicet hic aderant Natorum longa meorum
   Agmina, perque gradus stantia cuncta suos.
Parte loci summa claros Loiola per ignes,
   Vt bello, palma sic quoque primus erat.
Ponè pares curâ quos vidit Roma 4 quaternos
   Flectere sollicita publica lora manu.
Stabat & hic sed parva cohors quos 5. infula cin-
   Abstulerantque meo maxima iussa sinu (xit,
Cæteraque Imperiis gens didita, neue lateret,
   Tractabant docta iusque, piumque manu.
Parte alia domitis stabat Xaverius Indis,
   Primaque Iaponicæ saxque, salusque plagæ,
Plurimus hunc populus, circũq; 6. minutula turba
   Constiterat, sacris lota recenter aquis.
Candidulæ vestes illis, meliorque parentum
   Sanguine, formoso lacteus ore color.
Riccius 7. hic etiam, Sinas qui primus in oras
   Venit, & à Batavis 8. Barzius ortus aquis.

V dimus

4. *Quatuor Præpositi Generales, qui S. Ignatiũ in administranda societate exceperunt, videlicet, Iacobus Lainius, Frãciscus Borgia, Everardus Mercurianus, Claudius Aquaviva*
5. *Societas enim voto se obstringit non admittendi honores, aut prælaturam Ecclesiasticam, nisi summi Pontificis imperio: quo pacto creati Cardinales Toletus & Bellarminus, & Patriarcha Æthiopæ Andreas Oviedo, & Ioannes Nugnes Barretus, aliique pauci Episcopi.*
6. *Infantes innumeri, quos sacro baptismate abluit, cæloque transmisit.* 7. *Matthæus Ricci Italus, primus Sociorum in regnum Sinense penetrat,*
8. *Gaspar Barzeus Hollandus, mira in Indijs operatur.*

Vidimus & claros 9. Anchietæ ad lumina vul-
Cui quondã æquoreæ vela dedistis aves. (tûs,
Quid reliquos memoré perstringere crimina do-
Faustaq; pacificis bella movere tubis. (ctos,
Hic 10. Strada, 11. Barradas, facundi 12. Palmius oris
13. Ogerio comes hac parte 14. Cotonus erat.
Hic etiam, quondam qui 15. Nomine notus, &
Dicitur impuros perdomuisse canes. (ore
Inde per & sedes, qua se aurea pulpita tollunt,
Vidimus aggestis lucida castra libris.
Suarius 16. hic aderat, sed & hic quoque 17. Lessius, & tu
Ausus es 18 immundâ qui sacer ire viâ.
Pazius 19 oratæ clarus quoque Nomine Divæ,
Aptabat Latios ad sua scripta modos.
Cætera quid referam? longum est memorare, quot illic
Spectandos dederint aurea castra duces.
Interea medio quà se locus explicat igne,
In liquidas circùm visus abîre faces:

9. Ioseph Anchieta Brasiliæ Apostolus & sui tẽporis Thaumaturgus, cui aliquãdo aves marinæ advolarunt, eum à solis ardoribus ẽbten[sis] alis defensuræ.
10. Franciscus Strada Hispans. 11. Sebastianus Barradius Lusitanus. 12. Benedictus Palmius Italus. 13. Edmundus Ogerius, & 14. Petrus Cotonus Galli, eximijque divini verbi præcones. 15. Itemque Petrus Canisius Belga Noviomensis Germaniæ Apostolus. 16. Franciscus Suarez Lusitanus, 17. Leonardus Leßius Belga insignes Theologi. 18. Thomas Sanchez vitæ sanctitate & castimonia clarus, qui de Sacramento Matrimonij ingentem librum composuit. 19. Iacobus Alvarez de Paz Theodidactus à B Virg, Latinæ linguæ vsum accipit, & libros scribens in exstasim rapitur.

Proſtabant rutili Heroes, queis purpura reſtis,
 Cingebatque ſacras laurea vitta comas.
Ante alios iſthic 20. Antonius emicat: illi
 Heu, malè quàm nomen criminis author erat.
Ponè enſes, fractæque rotæ, palique iacebant,
 Lignaque in arſuros non reditura rogos.
Vidimus 21 affulam deno quater ordine turmam,
 Quæ fuſo æquoreas ſanguine tinxit aquas.
Vidimus 22. Henricum, pictoſque in ſanguine vultus,
 Quos orbi quondam ſpica Britanna tulit.
Plurimus hic etiam 23. Iapon, ſeu clarior igni,
 Fortior aut potâ ſæpe ſuperſtes aquâ.
Has ego dum corâm lucentes conſpicor vmbras,
 Viſaq; 24. Maſtrilli Martyris vmbra fuit.
Scilicet à collo teſtis pendebat 25. Imago.
 Sæpius extremis facta medela malis.

20. Antonius Criminalis, domo Pariſienſis, ad cuius nomen fit alluſio, primus Sociorum Martyrium ſubit

21. Ignatius Azebedius dum in Braſiliam navigat, cum 40 Socijs, ab Hæretico Pirata capitur, & in odiũ fidei occi dũtur

22. Henricus Garnettus, dum ab Hæreticis in Anglia ſuſpendio interemitur, & ſecatur ſpica ſanguine eius conſperſa Martyris vultum prodigioſè exhibet.

23. Plurimi Martyres in Iaponia, etiam è Societate, vti Carolus Spinola Italus, & alij lento igne aduſti. Nonnulli violenta aquæ infuſione novo tormento excruciati.

24. Franciſcus Maſtrillius Neapoli . Ian 1634. à S. Xaverio prodigioſè ſanatus, invitatuſq; ad converſionem Gentilium, Nangaſachi in Iaponia pro fide occiditur 1637.

25. Imago, ad S. Xaverij, quâ apparuerat, ſpeciem depicta multis terra, mariq; prodigijs inclaruit Vti hoc anno ſæculari Societatis 1640. Atrebati, in Philippo Penantio adoleſcente, qui atrocibus morbis agitatus, eadem Imagine ſanitatem recuperavit. Quod P. Pennequinus lib 3. Eleg. anni Sæcularis Societatis Ieſu quinque Elegijs eleganter expreſſit

Quid, quod & his fulgent argentea lilia turmis,
Quæ properus casto pollice legit Amor.
Hic KOSTKAE GONZAGA comes flos additus albet,
Quique 26. Brabantino prodiit alter agro.
Plurima prætereo : vos facto insistite calli,
Si patrum virtus, si pia facta movent.
Neu frustra moneã locus est quoque plurimus il-
Elige quo demùm quisq; manere velis. (lis,
Audior? an contra studiis frigentibus, edat
Dissimilis proavo facta pudenda nepos ?
Fallimur ô ! certum est, sensu peccavimus isto :
LOIOLIDES nullus degener esse potest.
Vtque sit hoc verum : tabulæ servatur imago,
Est vbi promissi littera scripta memor.
Scripsisti, certum est : hoc saltem parce negare,
LOIOLIDÆ proles, tu mihi mater eris.
Quin etiam (memini) dixisti sæpe *videbit*
(Hoc voveo) ignavum me quoque nulla dies.
Per probra detur iter, probris tentabimus ire :
Materies pugnæ convenit illa meæ.
Cur (rogo) sacratos dum IESV sector amores
Illius renuam signa, probrumq; sequi!
Hoc, quisquis meus es, vovisti : cur modò soluit
Te metus, aut repens in tua facta pudor?
Eia age, pone metũ: duce quo nova prælia captas
Is tecum innumeri militis instar erit.
Huc igitur properate mei, gens æmula, Nati :
Nec mea mobilibus tradite verba Notis.

Paucis

26. Ioannes Berchmannus Belga Romam missus, vbi Sanctissime obiit anno ætatis 22. Christi. 1621.

Paucis multa fero: montes vitate propinquos,
Iste locus crebro fulminis igne tonat.
Tutius est imas gressu percurrere valles:
Aureus hoc vobis calle præivit Amor.
Si tamen & formam fors exspectatis: & vnde,
Quoùe modo cœptum conficiatis iter,
Loiolides vobis, ne quid peccetis eundo,
Xaverius vobis sæpe legendus erit.
Ite igitur, totoque alacres excurrite mundo:
Sic bene vos Iesus, divaq; semper ament.
Sic bene, conceptis crescant incendia flammis,
27 Perque malè affusas non minuantur aquas.
Interea sæclo primùm labente, secundi
Dux etiam vobis 28 Mutius alter eat,
Ille novos cunctis feliciter inchoet annos,
Impleat & serus quæ canat acta nepos.
Cumque sibi tardè venientibus ordine fatis,
Supremùm emoriens clanxerit albus olor:
Addemus tumulo: *Rexit feliciter omnes,*
Nec me, quamquam auctam prole, reliquit anum.

27. *B. Franciscus Borgia dicere solitus erat, Societatem tamdiu florentem fore, quamdiu obtrectatorum calumnijs impeteretur.*

28. *R. P. Mutius Vitellescus Romanus, Societatis IESV præpositus Generalis VI. ab anno Christi.* 1615.

FINIS.

INDEX EPISTOLARUM

LIBRI PRIMI.

INDEX EPISTOLARUM

LIBRI SECVNDI.

INDEX

INDEX EPISTOLARUM
LIBRI TERTII.

FINIS.